Venio A. A. ad Instituta Academiae publica, ditissima illa, quibus pollet, literarum doctrinarumque armamentaria veluti atque praesidia. De his tamen eo nunc pauciora in medium proferam, quo mihi maior visa est, quas hoc anno experta sunt, vicissitudinum paucitas, et quo difficilius Rectori annuo, de omnibus, quae evenerunt singulis, sive ipse certior fieri, sive ea ratione, quae singularum poscit disciplinarum gravitas, aliis dicere. Quare hoc in votis est, ut meliori tandem via iuris publici fiant, quae, qui singulis praefecti sunt Viri doctissimi, singulis annis solent ad Academiae Curatores docte et accurate referre. Utinam possent instaurati iam *Annales Academici*, quorum primum volumen nuper prodiisse laetamur, his quoque usibus sic inservire, ut nova ratione singularum disciplinarum incremento prodessent! Mihi certe nunc sufficit A. A.: — Bibliothecam nostram publicam laudasse, non ut de imminutis subsidiis querimonias, quamquam iustissimas, habeam, sed ut GEELIO, V. Cl. publicas omnium referam gratias pro eximia cura, qua *Librorum Mss. qui ab A.* 1741 *ad Bibliothecam accesserunt*, nobis descripsit Catalogum; — Legatum Warnerianum vero, ut doctissimo ANTONIO KUENEN, discipulo et nostro nuper in paucis caro atque egregio, *Adiutoris Interpretis huius Legati* delatum ipsi munus gratuler; — Museum porro Anatomicum, ut Curatorum curam ac benivolentiam celebrem, qua, *Prosectore* creato IOH. ADR. BOGAART, viro doctissimo, anatomica studia mirifice adiuvasse censendi sunt; — Museum quoque Artis Statuariae et Chalcographicae, ut CORNETSIUM, Pictorem laudatissimum, Regia auctoritate huic Museo praefectum, salutem

publice: — Museum denique Numarium, non ut vobis nummos computem, quibus, insigni sane numero, hoc anno auctum est, sed ne te ingratulatum dimittam, Cl. van der Chijs! Numario huic Praefectum, de eximii praemioque ornati laboris tui parte prima nuperrime edita, eiusmodi quippe, ut vel sola Teyleriano auro videatur dignissima.

De ceteris vero Museis nostris hoc vobis, vel me tacente, persuadeatis velim, omnia illa, nisi crescunt perpetuo, at certe valere adeo, ut singularum disciplinarum studiis eximie prosint.

Haec igitur A. A. haec sunt magna illa, quibus Academia, quibus nos omnes, Dei beneficio, hodie fruimur bona! Vos vero maxime, Lectissimi Literarum Disciplinarumque Studiosi! qui tamen ipsi imprimis, non insigni tantum, quâ nunc estis frequentiâ, sed vero studiorum vitaeque ratione omni, haud infimo fuistis, hoc anno, felicitatis Almae nostrae Matris additamento.

Luximus vobiscum et proximis quatuor ex vestro ordine iuvenes, in his nuperrime praeclarum Ioannem Iosiam de Lange, praematura flebilique morte exstinctos [1]). Eo ardentiores autem nunc gratias agimus Deo, qui vos, magno numero omnes, Vestris, Academiae, Literis, Patriaeque servavit. Ita vero servavit duxitque, ut, si vel iuvenilis forte foras prodierit petulantiae specimen, longâ tamen serie testimonia exstent, quae, quot quantaque sint in vobis tantum non omnibus bona atque egregia, luculentissime probent. Mihi certe, Optimi Commilitones! sic omnes vestram probavistis humanitatem eamque perpetuo in vobis vidi studiorum alacritatem morumque bonitatem, ut publice fatear, vestram maxime virtutem impositum mihi onus, non levasse tantum, sed vero gratum fecisse ac placidissimum.

---

[1]) Obiit G. H. de Kok; Med. Stud. 9 Febr. 1851. — A. C. I. Heldewier; Iur. Stud. 3 Oct. 1851. — W. C. A. Dozy; Iur. Stud. 30 Oct. 1851. — I. I. de Lange; Iur. Stud. 1 Febr. 1852.

At quid verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt? Non defuerunt enim doctissimi iuvenes, quos, e suis scholis dimissos, ad quorumvis officiorum munera paratissimos, Academia hoc anno Patriae tradidit. Neque defuturos dein, id praesagiendi nobis copiam facit Certaminis Literarii exitus, quem nunc meum est promulgare.

Qui tamen procederem eo, nisi celebratis ante Regis Augustissimi, cum munificentiae, tum vero propensi maxime in studia studiosamque hanc iuventutem animi, laudibus. Novistis enim, quousque a Maiorum liberalitate nostri temporis defecerit parcimonia, bene multis iam abrogatis aut sensim paulatimque deletis atque extinctis, quae ad promovenda humanitatis studia tam egregie facerent. Nec defecit tamen noster ille, PRIMI suboles GUILIELMI, ARAUSIACUS! Non ille, qui dixit: Aeque glorioso suo vexillo quam Academiâ suâ inclytâ Lugduno-Batavâ! carere Patriam posse. Quare et vos, Generosissimi Adolescentes! carere certamine noluit, quo, non sclopetis sagittisve dimicare discatis, sed vero ad generosa ac nobilia contendere omnia.

Et sic igitur, novo exemplo, auctoritate nimirum Regis GUILIELMI III, ornare mihi vos praemio licet, quibus in huius anni Certamine Academico esse victoribus contigit. Ne tamen existimetis velim, vel victos praemiove carentes nunc illaudatos a me dimitti. Novistis enim: *et in magnis voluisse sat est.* Et vel me omnia fallunt, vel ipsa Ordinum Iudicia docent, et victos vos, certando tamen, futuras aliquando vobis iam instruxisse atque parasse victorias. Te igitur V. C., qui Senatus acta nunc curas, humanissime rogo, ut haec nobis Iudicia recites. Vos vero, Generosissimi Adolescentes! ut suum quisque nomen renuntiari audiet, ad me deinceps accedite.

IUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Anno superiori Ordo studiosae iuventuti hanc quaestionem e Zoölogia proposuerat:

„Quaeritur Crustaceorum terrestrium et fluviatilium, quae in patria nostra „reperiuntur, enumeratio systematica, addita unius saltem speciei ex „Lernaeaceis aut Caliginis descriptione anatomica et historia, aptis „iconibus illustrata."

Ad quam quaestionem non nisi unicam commentationem accepit, hoc lemmate inscriptam: „The real progress of natural History etc. (FORBES.)" *Hac in commentatione quaedam reperiuntur quae ab ipso quaestionis argumento aliena videntur; praeterea parti anatomicae icones minus laudabiles additas esse dolet Ordo. De quaestione tamen universa ita scripsit auctor, ut et doctrinam, et in investigandis rebus naturalibus industriam Ordini eximie probaverit, ipseque omnino dignus visus sit, qui praemio ornaretur. Aperta schedula nomen inscriptum vidit Ordo ornatissimi*

LEONARDI ALEXANDRI IOHANNIS BURGERSDIJK,

Math. et Phil. Nat. nec non Medicinae Candidati in hac Universitate,

qui dein, instituto examine, sese huius commentationis auctorem esse Facultati abunde probavit.

Macte virtute tua, Ornatissime BURGERSDIJK! Audivimus enim omnes, quantopere in te laudaverit Ordo, et doctrinae copiam, et disciplinae tuae peritiam, et vero rerum naturalium investigendarum ardorem atque industriam. At haec ipsa sunt illa, quae laudatissimum aliquando te informare possint Naturae Interpretem! Quare, quâ incepisti viâ, tu nunc strenue pergas. Regis autem augustissimi nomine hoc aurum accipias, non magis iam acti laboris pretium, quam agendi porro atque ad praeclara omnia contendendi studii incitamentum.

Ad quaestionem ad Physices disciplinam pertinentem Ordini una oblata est Commentatio, vernaculo sermone scripta et distincta verbis: Trado quae potui.

In parte historica huius commentationis scriptor accuratissimam Electricitatis Galvanicae scientiam ita probavit, ut Ordo nihil fere quod reprehenderet inveniret. Altera pars, quae ipsius scriptoris investigationes continet, quamquam non ab omni parte est absoluta, tamen tanta diligentiae, ingenii et Physices studii recte instituti specimina continet, ut iniquus sit, qui a iuvene maiora aut meliora exspectare velit. Itaque lubenter Ordo commentationem et iustis laudibus et praemio Regio exornavit.

Scriptorem vero se professus est et se esse probavit

IOANNES BOSSCHA Iᴿ.,

In Acad. Lugd. Bat. Math. et Phil. Nat. Candidatus.

Gratum mihi est, praestantissime Bosscha! te, laudatissimi celeberrimique Patris ipsum iam laudatum filium, mihi ex hoc loco salutandum esse publice praemioque ornandum. Quod ut tibi, ita et Parenti tuo, viro mihi aestumatissimo, ex animo gratulor. Tu vero iam hoc omni virium agas intensione, ut, bono cum Deo, non tantum eruditi nominis tui celebritatem tuearis semper atque sustineas, sed ut Patriae, Literis, tuae imprimis Disciplinae magis perpetuo ornamento sis et emolumento!

IUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITT. HUMANIORUM.

Ad quaestionem ex Litteris Graecis:

„Emendentur ex scriptoribus classicis Graecis quinque et viginti minimum „loci depravati, singulaeque emendationes probenter et demonstrentur „sermone Latino ad eam formam et elegantiam, cuius exemplum lucu„lentissimum est in Mureti Variis Lectionibus."

Ordo accepit commentationes duas.

Altera *insignita erat versu Theognideo:* "Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδέν" *id est* ducimur homines vanis opinionibus nec scimus quidquam; *quam sententiam veram esse videtur commentationis auctor de*

semet ipse coniecturam fecisse. Namque etsi in Graecis scriptoribus lectitandis et in Platone ante omnes multum versatus est, etsi tantum iudicio valet ut locos male habitos sagaciter indagare possit, etsi multorum locorum labem probabiliter demonstravit, tamen operi, quod suscepit, erat impar, quoniam non illa valebat antiqui sermonis Graeci scientia et usu, ut in singulis locis emendandis, id est in ipsa scriptoris manu reponenda, omnes veritatis numeros absolvere posset: itaque in corruptela certa vanis opinionibus ducitur, et incertas proiicit coniecturas, non manifestas emendationes ex ipsa loci sententia, usu scriptoris, lectionis denique reliquiis elicit.

Praeterea quod Mureti exemplum ei propositum erat ad imitandum ita neglexit, ... ut etiamsi caetera luculenta fuissent vel hac una de causa nulla eius ratio haberi potuisset.

Contra altera *commentatio, cui symbolum erat:* Es irrt der Mensch so lang' er strebt; *multis nominibus Ordini placuit et visus est auctor id ipsum assecutus, quod in hoc genere ab adolescente optimum exspectari et sperari poterat. Apparuit eum optimum quemque scriptorem Graecum diu ac multum trivisse et eo ingenio natum esse ut quod esset in egregiis scriptoribus maxime egregium penitus persentisceret ac totus Graecarum Littarum amore arderet, deinde rationem et usum Graecitatis accurate tenere, ut quod esset* ARISTOPHANE, THUCYDIDE, PLATONE, XENOPHONTE *et aequalibus indignum certis indiciis deprehenderet et quod ab eorum manu profectum esset evidenti correctione reponeret. Apparuit eum circumspecto iudicio ea delibasse quae certa viderenter et convelli non posse: in qua re quamquam eum subinde ratio fugit et nonnumquam correctionem effudit, quam delebit dies quamque ipse aliquando repudiabit maturiore iudicio et maiore etiam Graecitatis usu ex assidua lectione collecto, tamen in magno numero locorum, quibus medicinam criticam adhibuit, plerosque ita persanavit ut illas emendationes nulla umquam poenitentia aut oblivio obliterare possit.*

Denique quae acute et ingeniose reperit, ea orationis venustate et lepore ornavit, ut rerum praestantiam sermonis suavitas fere aequaret. Muretum autem sic imitatus est ut (quod maxime Ordo in Mureto commendando spectaverat) lectoris animum festivitate quadam iuvenili et urbanitate oblectaret, nec ieiune correctiones adnumeraret, quod ei feliciter cessit non

multa cura et labore, ut videtur; nam facile apparebat eum Graecarum Litterarum aliquanto peritiorem esse quam Latinarum.

Huic igitur praemium decernitur. Aperta schedula prodiit nomen ornatissimi

GEORGII BIRNIE,

Litterarum Humaniorum Candidati, Theologiae Studiosi in Academia Lugduno-Batava.

Salvi mi Birnie! Non tu inopinatus mihi es victor, uti nec inopinata laus eximia, qua vel magis te ornavisse mihi videtur Iudicium Ordinis, quam decreto tibi, quod nunc Regis nomine accipis, victoriae praemio. Quare ego laetor, mi Care! haud minorem inesse tibi modestiae ac pietatis, quam aut doctrinae, aut ingenii, aut Coniecturarum capiendarum solertiae copiam. Hinc eim ego fore laetus auguror, ut non tantum laudes tuas animo semper feras aequabili, sed quo te vidit Ordo ingenio natum, ut quid in egregiis scriptoribus maxime sit egregium penitus persentiscas, eodem et Sanctioribus, quibus destinatus es, Literis cultorem perpetuo maxime praeclarum te et eximium praestes.

IUDICIUM ORDINIS IURECONSULTORUM.

Ordo ICtorum duas ad disputandum posuit quaestiones, alteram de Vectigali Oresundico, *ad quam nemo respondit, alteram* de concinnando ex Ciceronis scriptis specimine Institutionum Iuris Civilis in artem redacti κ. τ. λ.

Ad quam una Ordini responsio oblata est hoc notata symbolo: was ich gewollt, ist löblich." *Visa est haec disputatio ita se sua commendare praestantia, ut eius auctor nemini non laudum aemulo dubiam fecisset victoriam. Vehementer placuit Ordini idonea materiae distributio, iudicandi solertia et magna doctrinae copia ex coniuncto litterarum et Iuris Civilis studio diligenter comparata.*

Quare Ordo non dubitavit commentationis huius scriptori praemium decernere. Resignata schedula auctor repertus est

IACOBUS ANTONIUS FRUIN,
Iuris Candidatus in Academia Lugduno-Batavâ.

Nulli tibi superandi fuerunt competitores, praestantissime FRUIN! Sed eam Ordo Iureconsultorum in tuo scripto observavit praestantiam, ut nemini non laudum aemulo dubiam fecisses victoriam. En igitur debitum tibi atque decretum victoriae praemium! non tamen tibi magis, quam Commilitonibus, incitamento, ut, ad tui instar, illâ singuli doctrina copiâ crescant, quam, ex coniuncto scilicet Literarum et Iuris Civilis studio diligenter comparatam, non sine magno animi gaudio in te nunc audivimus praedicari.

Summopere vellem, Generosissimi Iuvenes! nunc quidem novam vobis indicere opportunitatem certandi. Id tamen non nobis nunc datum est, sed, vicibus factis, indicet illam propediem Academia Rheno-Traiectina. Hoc vero vos, precor, agatis, ut certatores, imo victores, Leidenses proximo quoque anno haud frustra quaerantur.

Igitur hoc unum restat, ut Academiae magistratum in successorem, quem a Rege mihi datum esse iam audivistis, nunc publice conferam. Itaque tu Cl. VERDAM! hoc honorifico tuo munere sic fungere, auspice Deo, ut ex meis votis nulla non bona et maxime fausta tibi contingant. Sic, et te Rectore, crescat porro ac floreat Academia Lugduno-Batava!

Ita tu faxis, Pater coelestis! Tibi pro omnibus beneficiis in hanc Academiam, in me, hoc anno, hoc die, collatis, gratias ago ex imo pectore, quas habeo maximas.

Tibi sit laus, gloria, honos!

DIXI.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1851.

Die 25 Febr. Recitatur Regis Augustissimi decretum d. 5 Febr. hujus anni, de Certamine literario Academico, Regis nomine atque sumptibus, sic instaurando, ut quotannis octo praemia aurea tribus Regni Academiis vicibus alternis largiantur, initio facto ab Academia Lugduno-Batava.

Die 18 Nov. Recitatur decretum Curatorum d. 30 Sept. 1851, quo Prosector anatomiae in Academia Lugduno-Batava creatur J. A. Boogaard, Med. Doctor Roterodamensis.

Decretum recitatur Regium, d. 16 Oct. quo Adjutor Interpretis Legati Warneriani creatur Abrahamus Kuenen, Doctor Theologiae.

Aliud recitatur Decretum Regium d. 7 Oct. 1851, quo viro nobilissimo N. de Gyselaer, hoc petenti, conceditur honorifica missio numeris Praefecti Museo artis statuariae et chalcographicae, eique successor datur Jacobus Ludovicus Cornet, Pictor Leidensis.

1852.

Die 14 Jan. Designantur Candidati quatuor, apud Regem edendi, e quibus Rector Magnificus in annum sequentem Regis decreto constituatur. Sunt Viri Clarissimi:

G. J. Verdam.
T. G. J. Juynboll.
F. G. Krieger.
S. Vissering.

Senatus Actuarium creandum jussit ex quatuor hisce Viris Clarissimis:

N. C. Kist.
G. J. Verdam.
T. G. J. Juynboll.
J. de Wal.

Die 7 Febr. Recitatur Decretum Regium quo in annum proximum Academiae Rector Magnificus creatur Vir Clarissimus Gideon Janus Verdam.

Rectori futuro Adsessores decernuntur Viri Clarissimi

J. F. van Oordt, J. G. Fil.
R. P. A. Dozy.
F. G. Krieger.
J. C. van Assen.

Die 9 Febr. Rector ad Senatum refert in conventu Curatorum, Rectoris Magnifici et Adsessorum Actuarium in annum sequentem creatum esse V. Cl. N. C. Kist.

Rector Magnificus cum Senatu ceterisque Professoribus in Auditorium majus descendit. Actuarius pro concione Regis decretum de Rectore in annum sequentem creato recitat. Adsessores novo Rectori additos et Actuarium commemorat.

Rector e Cathedra dixit Orationem: *de multum semper hodieque neglectis Religionis Christianae indole atque munere practicis;* et fata Academiae anno elabso commemoravit.

Recitatis ab Actuario judiciis Facultatum de Commentationibus pro Certamine literario conscriptis, renunciatisque Victorum nominibus, Rector Magnificus praemia aurea tribuit Civibus Academicis hisce:

Ex ordine Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum LEONARDO ALEXANDRO JOANNI BURGERSDYK, Math. et Phil. Nat. nec non Medicinae Candidato in hac Universitate.

Ex eodem ordine JOANNI BOSSCHAE, Math. et Phil. Nat. Candidato in hac Universitate.

Ex ordine Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum GEORGIO BIRNIE, Liter. Hum. Candidato et Theologiae Studioso in hac Universitate.

Ex ordine Jureconsultorum JACOBO ANTONIO FRUIN, Juris Candidato in hac Universitate.

Rector Magnificus solemnibus verbis deposito magistratu e Cathedra descendit et in subsellia redit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deduxerunt in senaculum et salutaverunt.

SERIES LECTIONUM

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1851.

FACULTAS THEOLOGICA.

N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis mediam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ XII.

Christianae Morum Disciplinae partem exponet practicam et asceticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XI.

Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.

Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . II.

Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

W. A. van Hengel, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris . . VI sqq.

J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . IX.

Parabolas J. C. interpretabitur, diebus Lunae et Veneris . X.

Theologiam pastoralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . X.

Collocutionibus de locis dogmaticis vacabit, die Mercurii . X.
et alia horâ auditoribus commoda.

J. H. Scholten Euangelium Johannis interpretabitur, diebus Martis et Jovis . . . . XI.
et die Mercurii . . . . I.

Theologiae naturalis sive philosophiae de Deo historiam enarrabit, diebus Jovis et Veneris . . . . I.

Hermeneuticam N. F. tradet, diebus Lunae et Martis . . . horâ I.
Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.
Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. VAN OORDT, J. G. FIL. et J. H. SCHOLTEN.

***Vacanti quartae in Theologica Facultate cathedrae ubi prospectum erit, ad valvas Academiae indicabitur, cuinam professio sit delata et quas novus Professor scholas habiturus sit.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.
Anthropologiam s. Historiam naturalem generis humani, diebus Martis et Jovis . . . . I.
Mineralogiae et Geologiae elementa, diebus Lunae et Mercurii II.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.
Artem pharmaceuticam, theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

G. J. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis . . . . X.
et die Veneris . . . . IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam, hujusque usum, docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.

Arithmeticam universalem, sive Algebram, tradet, diebus Martis et Mercurii . . . . horâ VIII.
et die Jovis . . . . IX.
Calculum Differentialem et Integralem tractare perget, civiumque academicorum studia, in aliis disciplinarum mathematicarum partibus, juvare aut moderari haud recusabit.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.
Post ferias paschales autem hora quadam matutina, auditoribus commoda.
Theoriam motus corporum coelestium et disquisitiones selectas, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis commentabitur.
Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore, singulis diebus . . . . I.
Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, diebus iisdem VII.
Physiologiam plantarum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . I.
Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . II.
Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.
Historiam plantarum medica virtute praeditarum et pharmacognosin regni vegetabilis et animalis duce Pharmacopoea Neerlandica futuris pharmaceutis tradet horis commodis.

P. L. Rijke, Prof. Extraord., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . XII.
Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris . VIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake praecipuos locos interpretabitur ex *Ciceronis* libris *de Natura Deorum*, et *de Officiis*, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ IX.

Literarum Graecarum studiosis ad interpretandum proponet tum *Platonem* in *Gorgia* et in III^{tio} libro *de Republica*, tum *Demosthenem* in Oratione *contra Androtionem* et in ea *contra Midiam*, iisdem diebus . . . . X.

Ex *Antiquitatibus Atticis* selecta capita tractabit, die Lunae I et II.

Scholas Paedagogicas habebit, die Mercurii . . . . I et II.

J. M. Schrant Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . II.

Praecipuas styli sive Eloquentiae regulas, a se editas, interpretabitur, probatis auctoribus, inprimis Hooftio, illustrandas, et exercitiis applicandas; Eloquentiae exterioris praeceptis atque exercitationibus adjectis, diebus Jovis et Veneris . . . . II.

et die Saturni . . . . X.

E Scriptoribus Neêrl. mediae aetatis selectos locos, mox edendos, explicabit, die Saturni . . . . XI.

A. Rutgers Ezechielis Vaticinia et Psalmos selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.

et die Mercurii . . . . VIII.

Secundum Samuelis Librum cursoria lectione tractare perget die Martis . . . . I.

et die Jovis . . . . XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. Lasseno editam, explicare perget, dieb. Lunae et Jovis I—III.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . horâ VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . VIII.
Cum provectioribus Chronicon leget ABŪ 'L-MAHĀSINI Arabicum, die Martis . . . . II.
Et HAMASAE Carmina cum TIBRĪZĪI Commentario, die Veneris XII—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhawiani, die Jovis V—VII.
Chronicon Syriacum Bar-Hebraei, die Mercurii . . . . II.

J. H. STUFFKEN Logicam tradet, diebus Jovis et Saturni . . . IX.
et die Veneris . . . . XI.
Metaphysicam docebit, die Martis et Mercurii . . . . X.
Paedagogicam exponet diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Locos Selectos et Scriptoribus Graecis et Latinis antiquitatem Romanam illustrantes interpretabitur, die Jovis . . . XII.
Scholas Paedagogicas habebit, diebus Martis et Jovis . . . II.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris . I.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I—III.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis . . . . XI.

R. P. A. DOZY, Prof. Extraord., Selectas partes Historiae recentioris tractabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.
Locos historicos difficiliores et varia historiae literariae capita tractabit, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

FACULTAS MEDICA.

M. J. MACQUELYN quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . horâ I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . . I.

G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
et die Saturni . . . . IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris . . . . X.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Jovis . . . . X.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.

F. W. Krieger Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni . . . XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris . . . . XII—III.
Operationes Chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam demonstrabit, horis dein indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni . . . X—XII.
Medicinam Forensem, die Lunae et Jovis . . . . I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris . . . IX—XI.

A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam Artis Obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . VIII.
Operationibus obstetriciis tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeërit die Mercurii . . . . I.
Gynaecologiae et gynaecopathologiae capita selecta tradet, horis auditoribus commodis.
Praxin Obstetriciam in Nosocomio Academico, quoties necesse erit, moderabitur.

H. HALBERTSMA, JUST. FIL., Prof. Extraord., Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . horâ X.
Physiologiam observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus . . . . IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . XI—III.
F. W. KRIEGER et H. HALBERTSMA disputandi exercitiis publicis praeërunt die Veneris . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Emeritatum nactus et cessans a praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.
C. J. VAN ASSEN interpretabitur libros Digestorum diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Justiniani Institutionum Libros IV cum Theophili paraphrasi, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . X.
Jus Civile Hodiernum, secundum compendium a se editum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam, die Jovis IX—XI.
et die Veneris cum exercitationibus forensibus . . . . X.
H. COCK tradet Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . X.
et die Jovis . . . . XI.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.
Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
J. DE WAL explicabit Encyclopaediam et Methodologiam Juris, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Historiam Juris Romani enarrabit, iisdem diebus . . . . . I.
Jus Mercatorium exponet, die Jovis . . . . XII.
et die Veneris . . . . XI et XII.

S. VISSERING Statisticam patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ I.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus . . . . . . II.
Oeconomiam politicam, die Jovis . . . . I et II.
et die Veneris . . . . I et II.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. Extraord. ornatus, Numismaticam generalem tradet diebus Lunae et Jovis . . . . I.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum poetarum Germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia poeseos genera explicet auditoribus.

Si qui sint, qui, linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiant, iis quoque lubentissime vacabit.

C. G. LOKKERS, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1851.

E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
111	12	22	64	191	400

Praeterea in album academicum nomina studiosorum in diversis Athenaeis studiis operam navantium relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in Facultate	Theologica	. . . .	29.
〃 〃	Disc. Math. et Phys.	. . . .	1.
〃 〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	. . . .	14.
〃 〃	Medica	. . . .	26.
〃 〃	Juridica	. . . .	37.
			107.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE 9 M. FEBRUARII 1851 AD DIEM 8 M. FEBRUARII 1852.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 28 Junii. ABRAHAMUS KUENEN, Harlemensis, publice defenso Specimine continente: *Geneseos Libri capita triginta quatuor priora ex arabica Pentateuchi Samaritani versione nunc primum edita, cum prolegomenis*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

d. 30 Junii. JANUS ADRIANUS HERKLOTS, Medioburgo-Zelandus, defenso Specimine continente: *Additamenta ad faunam carcinologicam Africae Occidentalis*, Matheseos et Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

d. 20 Dec. COMBERTUS PETRUS BURGER, Roterodamensis, publice defensa *Dissertatione de solutione problematis Keppleriani*, Math. et Phil. Nat. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

d. 7 April. ANDREAS FREDERICUS VAN DE LAAR, Amstelodamensis, publice defenso Specimine continente: *Observationes criticas in Plutarchi vitam Dionis*, Philosophiae Theoreticae Magister et Literarum Humaniorum D. *cum laude.*

Eod. die. JOANNES FREDERICUS ZEITZ, Amstelodamensis, publice defenso Specimine continente: *Observationes in Plutarchi vitam Arati*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *cum laude.*

d. 27 Maji. GUILIELMUS BISSCHOP, Haganus, publice defenso Specimine continente: *Annotationes criticas ad Xenophontis Anabasin*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *magna cum laude.*

d. 20 Junii. LUDOVICUS GUILIELMUS VAN DEVENTER, Haganus, defenso Specimine: *de interpolationibus quibusdam in Sophoclis Tragoediis*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *magna cum laude.*

d. 30 Junii. EUGENIUS MEHLER, Embricensis, publice defensa Dissertatione continente: *Specimine novae editionis Heracliti Allegordiarum Homericarum*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

d. 19 Febr. ERNESTUS FREDERICUS HOYACK, Amstelodamensis, defensis Thesibus, Med. D.

d. 17 Mart. ARIUS DE BOER VERVOORN, ex pago Herwynen Gelrus, defensa Diss. continente: *tres historias morborum in Clinico V. C. Suringar observatorum*, M. D. *cum laude.*

d. 28 Mart. EDUARDUS HENRICUS GERARDUS THYSSEN, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, Chirurgiae D.

d. 19 Maji. HENRICUS FRANCISCUS VAN DE VEN, Haganus, defenso Specimine continente: *Observationes ex Clinico V. C. Krieger*, M. D. *magna cum laude.*

d. 26 Maji. SAMUEL SENIOR CORONEL, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

Eod. die. CONRADUS ALBERTUS ISAACUS HESTERMAN, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 23 Junii. CORNELIUS JOANNES VAN DER KELLEN, Amstelodamensis, defensa Diss. continente: *Observationes quatuor partus praematurae artificialis*, M. D. *magna cum laude.*

d. 2 Sept. PETRUS MARINUS ADÈR, Rheno-Trajectinus, publice defensa Diss. sistente: *Observationes quasdam medico-practicas*, M. D. *cum laude.*

d. 4 Sept. CORNELIUS JOANNES VAN DER KELLEN, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 6 Sept. DIDERICUS DOYER, JAC. FILIUS, Zwollanus, defensa Diss. continente: *septem casus morbi Cholerae Asiaticae*, M. D. *magna cum laude.*

d. 30 Sept. JACOBUS JOANNES MICHAEL VAN HAL, Oosterhoutanus, defensa Diss. continente: *quaedam de Dyserasia tuberculosa*, M. D. *cum laude*.

d. 17 Oct. DIDERICUS DOYER, JAC. FIL., Zwollanus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 29 Oct. DIDERICUS DOYER, JAC. FIL., Zwollanus, defensis Thesibus, Ch. D.

d. 12 Dec. CORNELIUS JOANNES VAN DER KELLEN, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 20 Dec. JOANNES BASTIANUS MOLEWATER, Roterodamensis, M. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 7 Febr. GUILIELMUS KROL, Zutphaniensis, publice defensa Diss. continente: *Casum morbi tuberculosi pulmonum cum epicrisi adjecta*, M. D. *cum laude*.

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 27 Febr. LUDOVICUS PETRUS FRANCISCUS BRUYN, ex Insula Java, publice defenso Specimine: *de quaestione possitne actio civilis de damno resarciendo coram judice poenali sec. Art.* 231 *Cod. institui adversus mulierem, marito auctoritatem suam non interponente*, J. U. D. *cum laude*.

d. 28 Mart. BERNHARDUS ORTUINUS THEODORUS WESTENBERG, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de re, quam vis militaris afferre possit in sedendis seditionibus civilibus*, J. U. D. *cum laude*.

d. 31 Mart. JOANNES FREDERICUS HOUCK, Daventriensis, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 12 April. GUILIELMUS MUYDERMAN LOOFS, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de obligatione a locatore rerum contracta, ad ipsas res locatas restringenda*, J. U. D. *cum laude*.

d. 5 Maji. JACOBUS VAN GIGH, Haganus, publice defenso Specimine: *de negotiis gestis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 10 Maji. ARNOLDUS JOANNES BEUKERS, Schiedamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

Eod. die. ANDREAS JOANNES BONAVENTURA STOFFELS, Amstelodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

d. 23 Maji. Martinus Arnoldus van den Acker, ex pago Stratum, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 26 Maji. Bernardus Hubertus Hanlo, Amstelodamensis, defenso Specimine: *de cursu publico mercium ac vectornm ex principiis juris mercatorii*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 30 Maji. Joannes Gerardus ab Utrecht Dresselhuis, Wolfaertsdico-Zelandus, defenso Specimine: *de poena peregrinationis sacrae medio aevo in Neerlandia usitata*, J. U. D. *cum laude.*

d. 7 Junii. Germanus Adrianus Nebbens Sterling, Dordraco-Batavus, publice defenso Specimine: *de vectoribus et itineribus transmarinis*, J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Junii. Isaacus Henricus Marinus Valckenaer, Flessinga-Zelandus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 13 Junii. Arnoldus Martinus van Stipriaan Luïscius, Delphensis, defenso Specimine: *de Specim. Cod. Civ. Neerlandici A.* 1820. *Lib. I. inter se comparatis*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 17 Junii. Guilielmus Theodorus Rendorp, Amstelodamensis, defenso Specimine: *de origine et progressu juris in Kennemerlandia*, J. U. D. *magna cum laude.*

Eod. die. Jacobus Janus de la Bassecourt Caen, Haganus, defenso Specimine: *de locatum conductione fundorum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 19 Junii. Jacobus Joannes Smits, Noviomagensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 28 Junii. Dithmarus Melchior Rammelman Elsevier, ex Insula Curacao Americanus, defensis Thesibus, J. U. D.

Eod. die. Albertus Gerardus Kleyn, Bredanus, defenso Dissertatione cont.: *Quaestiones selectas de Athelicini jurisprudentia*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 30 Junii. Henricus Aemilius Carolus van Kerckhof, Roterodamensis, defenso Specimine: *de liberorum legitimorum filiationis probationibus*, J. U. D. *magna cum laude.*

Eod. die. Joannes Emericus van der Heyden, Eindhoviensis, defensis Thesibus, J. U. D.

Eod. die. Josephus Wynandus Theodorus Swaters van Schaumburg, Assa-Drenthinus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

Eod. die. JOHANNES HENRICUS VAN FOREEST VAN DER PALM, Alcmarianus, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 30 Sept. JOANNES NICOLAUS SMITS, Oosterhoutanus, publice defenso Specimine: *de initio probationis per scripturam sec. jus Neerlandicum*, J. U. D. *cum laude.*

Eod. die. PETRUS CLAUDIUS BYLEVELT, Noviomagensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 1 Oct. JOSEPHUS JOHANNES SUYS, Sylva-Ducencis, publice defenso Specimine: *de intimo Religionis ac Ethices cum jure nexu*, J. U. D. *cum laude.*

d. 14 Oct. GUILIELMUS PETRUS SMITS, Dordraco-Batavus, defenso Specimine: *de Albo nautarum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 20 Oct. LUDOVICUS ERNESTUS FRANCISCUS JACOBUS VON BÖNNINGHAUSEN TOT HERINGHAVEN, ex pago Tubbergen, publice defensa Dissertatione continente: *Observationes ad legem d. X Maji A.* 1817, *de Bancaeruptorum delictis et poenis*, J. U. D. *cum laude.*

d. 2 Nov. JOANNES HERMANNUS DE STOPPELAER, Medioburgo-Zelandus, defensa Dissertatione: *de Zelandica gente de Huybert, ejusque meritis de re cum publica tum literaria et de partibus quas in publicis Belgii Foederati rebus curandis egit Petrus de Huybert*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 6 Dec. PETRUS JOANNES ANTONIUS SMITS, Eindhoviensis, defensa Dissertatione: *de collatione bonorum*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 13 Dec. PHOEBUS HITZERUS VERBEEK, Amstelodamensis, publice defensa Dissertatione: *de cessione bonorum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 20 Jan. AARON ADOLPHUS DE PINTO, Haganus, publice defensa Dissertatione: *ad locum Cod. Civ. Neerl. de Obligationum nullitate*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 23 Jan. DIDERICUS ARNOLDUS BERDENIS VAN BERLEKOM, Medioburgo-Zelandus, defenso Specimine: *de iis qui in itinere maritimo diem supremum obeunt*, J. U. D. *cum laude.*

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A DIE 26 MARTII A. 1851

USQUE AD DIEM 26 MARTII A. 1852,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

C. G. OPZOOMER.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

B. J. LINTELO DE GEER.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER (Extraord.).
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. C. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER (Extraord.).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. J. WOLTERBEEK (Emeritus).
J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, CORN. JAN. FIL.
F. C. DONDERS (Extraord.).
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraord.).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY (Extraord.).
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraord.).

LECTORES.

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

CORNELII GUILIELMI OPZOOMER

ORATIO

DE

PHILOSOPHIAE NATURA,

QUAM HABUIT

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCLII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI CURATORIBUS AB EPISTOLIS ES, VIR CONSULTISSIME!

DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI MUNERUM AUT HONORUM AMPLITUDINE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI VENERABILES!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, HUJUS ACADEMIAE CIVES, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, QUI AD HANC SOLEMNITATEM CONFLUXERITIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Fuerunt multi, qui in patria nostra nullum unquam philosophiae locum fore, magnopere aut questi sunt aut gavisi. Nec puto, illorum numerum nostris temporibus esse imminutum; imo fortasse auctus est. Apud Germanos, inquiunt, vernacula planta est; apud nos autem adventitia, quae in soli nostri sterilitate, in nostri aëris temperie florere vix potest. Ex ingenio nostratium philosophica systemata numquam prodeunt; a vicinis illa mutuamur, nec quod accepimus, quippe cum nostrum non sit nec cohaereat cum opinionibus atque affectubus nostris, solida industria et diuturno amore colimus. Quae in Germania jam aliquot temporis viguerunt decreta, quae philosophi vocant *δογματα*, primum huc invecta multos, juvenes inprimis, alliciunt iisque novitatis gratia se commendant. It fama per urbes, — sed vires amittit eundo. Mox contemnitur quod quasi de coelo delapsum adorabatur; quod omnibus numinis instar erat mox, si forte hic illic quosdam retineat *ειδωλολατρας*, ridetur tamen a plerisque. Ferre

nequeunt Batavi subtiles istas definitiones et distinctiones, impeditas de rebus humano intellectu longe superioribus quaestiones, disputationes, quarum vita civilis nullos unquam fructus perceptura est. Nec minus respuunt dicendi illud genus, horridum nunc et barbarum, nunc tumidum et calamistratum, quod philosophorum generis quasi proprium esse videtur. Omnes doctrinae, tum physicae tum morales, laudem suam et dignitatem apud nos tuentur; philosophiam vero exsulare jubemus.

Quid ego, jam ante hos sex annos ad ipsam hanc, tam aspere et inurbane exsulare jussam, philosophiam in Academia Batava docendam vocatus, talibus respondebo? Haud facile me adduci, ut ea, in quibus omne vitae tempus consumere placet, repugnare concedam nationis ingenio, cujus partem me sentio, cujus saluti quantum potero prospicere ante omnia mihi cordi est, nemini mirum erit. Et tamen fortasse a philosophiae vituperatoribus philosophus ipse haud tantopere dissentior re quam verbis. Fieri potest, ut quod ab iis philosophia nominatur ego (dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis utar verbis interdum inauditis) ideologiam dicam, metaphysicam vel dogmatismum, ita ut, diversis vocabulis eandem rem reprobantes, sic etiam eandem rem diversis vocabulis laudemus. De verbis autem cum illis disputare, ingratum foret. Sufficit mihi, si illud, quod apud me philosophia est, quidquid tandem eodem nomine ab aliis significatum sit aut significetur adhuc, non modo non esse ejiciendum, sed contra civitatis jure donandum, imo a nostratibus semper esse donatum, perspicuis argumentis demonstraverim. Ad paucissimos illos, qui philosophi appellatione ornati sunt, non provocabo; apparent enim rari nantes in gurgite vasto; nec quod unus alter hic coluit vernaculum idcirco dici meretur. De Spinosa ne verbum quidem, quasi ille ostendat, philosophiam Batavorum quam maxime esse propriam, et ab iis demum in Germaniam migrasse. Est enim unus ille in paucis; et ipsi judicetis, num hac in tanta re unus totius populi causam dicere possit. Et ea ipsius ratio ac disciplina est, ut, si a gente nostra alienam esse eam confitear, ipsam tamen philosophiam ex civitate haud expulerim. Exemplis rem meam non confirmabo; certiora sunt, quibus me defendam. De nostratium indole nihil attinet disserere; qualis sit, cuique vestrum non ex argumentatione, sed ex intimo pectoris sensu et perenni vitae cum aliis consuetudine notissimum est. Hoc unum

cogito, non gentis nostrae, sed philosophiae naturam vobis delineare, de mutata ejus conditione dilucide et brevissime dicens. Vestrum erit judicare, an hujusmodi doctrina, qualem depingam, in Hollandia colenda sit an vero repudianda. Me autem, hanc pro domo causam agentem, benevolé audiatis, vestraque indulgentia ignoscatis quae viribus meis deësse mihi conscius sum.

Ab antiquis inde temporibus omnes, qui res sensibus obnoxias dividere conati sunt, distinxerunt inter eas, quae sensu utuntur, et eas, quae sensus expertes sunt, de nonnullis dubitantes, utrum ad hanc classem illamve referendae sint. Ab ipso homine initium, de quo ambigi non potuit, ita quidem, ut quid sensum intelligamus definire non opus sit. Dilucidius enim nihil excogitari potest, ita ut alia omnia potius explicet ipse, quam per alia explicandus sit, quapropter multi in eo solo putant veri esse judicium. Caeterae res, animalia, plantae, cum homine comparantur, in quibus si eadem iisve simillima inveniuntur, quorum origo in nobis sensus est, ex eadem consecutione eandem causam colligimus.

Quidquid est quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem et dolorem. Omnia igitur animantia, quum nunc in meliore causa sint, nunc deteriore statu, discrimen illud sentiunt et profitentur. Voluptatis verbo duae res subjiciuntur, laetitia in animo, commotio suavis jucunditatis et gaudium in corpore. De dolore idem valet. Voluptuariam conditionem laetitia sequitur, aegritudo molestam.

Omne animal, simulatque natum sit, ipsum sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum, et ad suum statum, eaque, quae conservantia sunt ejus status, diligenda; alienatur autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre; id agit, ut ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Voluptatem igitur appetit eaque gaudet ut summo bono; dolorem aspernatur ut summum malum, et, quantum possit, a se repellit. Voluptatem expetendam, fugiendum dolorem sentit, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel, quorum nihil oportet exquisitis rationibus confirmare. Jucundum motum, quo sensus hilaretur, praefert dolori. Sensum habet sui, eoque se et sua diligit. Summa igitur

vi atque contentione id agit, ut se, vitam corpusque tueatur, ut pastum, latibula, verbo ut omnia, quae sunt ad vivendum necessaria et dulcem motum afferunt sensibus, anquirat et paret. Quae nocitura videantur declinat, ut in eam veniat conditionem, in qua laetitia gestiat nec ullo dolore excrucietur.

Maxime autem inter se differunt vires, quibus diversa animalium genera praedita sunt, ita ut, licet ad summam felicitatem ac jucunditatem nullum perveniat, alia tamen propius accedant, alia longissimo semper intervallo distent. Maximis in terris viribus homo gaudet; humanum genus validissimum. Vescimur enim, inquit Tullius, bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus; efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus; nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur; nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam; nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus, et ad usum aptas et ad ornatum decoras; arborum autem consectione omnique materia et culta et silvestri partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora caloresque pellamus. Quas res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficimus. Est hujus roboris et dominatus causa in intellectu. Homines enim, etsi aliis multis, in hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem et vigentem, quae et causas rerum et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disjuncta conjungat, et cum praesentibus futura copulet. Qua quo magis omnibus antecedunt, eo magis viribus quoque praestant. Majorem naturae partem idcirco imperio regere possunt, quia majorem habent naturae cognitionem. Scientiae finibus prolatis ditionis etiam fines proferuntur. Nihil nobis subjicere, nihil ad

nostrum arbitrium movere et moderari possumus, nisi ipsius indolem perspexerimus, causas a quibus proficiscitur, naturae leges quibus regitur, utilitatem quam potest afferre. Nostras leges naturae non constituimus, nisi ipsius legibus cognitis et observatis.

d. 10 m. April. Jacobus Roozenburg, Schoonhoviensis, Medicinae Doctor, privatim defensis Quaestionibus, Artis Obstetriciae Doctor creatus.

〃 28 〃 Maji. David Jacobus Coster, Amstelodamus, publice defensa Dissertatione, *de plantarum indigenarum usu in medicina*, Medicinae Doctor creatus.

〃 〃 〃 〃 Joannes Benjamin Roll, Rotterodamus, publice defenso Specimine, sistente *Quaedam de ulcere perforante ventriculi, praegrediuntur duo casus in Nosocomio Amstelodamensi observati*, Medicinae Doctor creatus.

〃 5 〃 Junii. Fredericus Cornelius van Opdorp, Bergensis ad Zomam, privatim defensa Dissertatione, exhibente *Casus nonnullos febris puerperalis in Tococomio Academico, anno MDCCCL observatos cum epicrisi*, Medicinae Doctor creatus.

d. 30 m. Junii. Cornelius Joannes van Persyn, Koudekerkâ-Batavus, privatim defensa Dissertatione, *de irritatione medullae spinalis*, Medicinae Doctor creatus.

〃 3 〃 Julii. Ysbrandus Kesper, Medicinae Doctor, privatim defensis Quaestionibus argumenti Chirurgici, Artis Chirurgiae Doctor creatus.

〃 17 〃 Dec. Arnoldus Sanderus Leonardus Guilielmus Gerardus Abeleven, Medicinae Doctor, ex pago Ubbergen, privatim defensis Quaestionibus, Artis Obstetriciae Doctor creatus.

〃 21 〃 Jan. Cornelius Joannes van Persyn, Koudekerkâ-Batavus, Medicinae Doctor, privatim defensis Quaestionibus, Artis Obstetriciae Doctor creatus.

〃 28 〃 〃 Fredericus Cornelius van Opdorp, Bergensis ad Zomam, Medicinae Doctor, defensis privatim Quaestionibus, creatus Artis Obstetriciae Doctor.

〃 9 〃 Febr. Andreas Jacobus Thomas, Lugduno-Batavus, Med. Doct., privatim defensis Quaestionibus, creatus Chirurgiae Doctor.

〃 24 〃 Mart. Jacobus del Monte Lyon, Surinamensis, privatim defensis Quaestionibus, creatus Artis Chirurgiae Doctor.

IN THEOLOGIA.

d. 3 m. Julii. Henricus Emanuel Faure, e Promontorio Bonae Spei, privatim defensa Dissertatione, continente *Annotationem in nonnulla loca Lucae, in actuum Apostolicorum libro referentis de Paulo ad Christum converso.*

〃 25 〃 Mart. Fredericus Petrus Jacobus Sibmacher Zynen, Zalt-Boemeliensis, publice defenso Specimine, *quo Anselmi et Calvini placita de hominum per Christum a peccato redemtione, inter se conferuntur.*

IN JURISPRUDENTIA.

d. 16 m. Maji. Alexander Carolus Ghislenus van Oldeneel, Sylvaducensis, privatim defenso Specimine juris gentium, *de causis, quae foederum auctoritatem tollunt.*

d. 4 m. Junii. ANTHONIUS RENDORP, Amstelodamus, publice defenso Specimine, *de assecuratione super vita.*

" 5 " " GEORGIUS JANUS JACOBUS DE CHAUFEPIÉ, Amstelodamus, publice defenso Specimine, *de quaestione an judici inquirendum sit in causas separationis thori ac mensae, mutuo conjugum consensu petitae.*

" 10 " " GERHARDUS HENRICUS RUEVER, Amstelodamus, publice defensa Disputatione, *de discrimine inter communionem conjugalem lucri damnique et communionem fructuum atque redituum.*

" 13 " " RUDOLPHUS HENRICUS SCHMALHAUSEN, Mosa-Trajectinus, publice defensa Dissertatione, *de cautione damni infecti.*

" 14 " " GUILIELMUS NIERSTRASZ, Gorinchemensis, privatim defensis Thesibus inauguralibus.

" 17 " " OTTO VAN REES, Leodiensis, privatim defenso Specimine historico politico, *de opere Petri de la Court, quod inscribitur: Aanwijsing der politike gronden en maximen van de republike van Holland en West-Vriesland.*

" 27 " " GUILIELMUS SIX, Rheno-Trajectinus, privatim defensis Quaestionibus inauguralibus.

" 28 " " GERARDUS PETRUS TEN CATE, Indo-Batavus, privatim defensis Thesibus, Juris Doctor creatus.

" " " " JACOBUS WERTHEIM, JOANNIS FILIUS, Amstelodamus, privatim defenso Specimine, *de consulibus mercatorum Batavis.*

" 3 " Oct. ATLANTUS HELENUS LEIJDEL VAN DAM, mari natus, privatim defensis Thesibus Juridicis.

" 8 " " JACOBUS MOOLENBURGH, e pago Zonnemaire, privatim defensis Quaestionibus inauguralibus.

" 10 " " GUILIELMUS VAN NELLESTEYN, e pago Darthuisen, defensis privatim Thesibus.

" 15 " " PAULUS CORNELIUS BALLOT, Roterodamus, privatim defensis Thesibus.

" 24 " " AUGUSTUS ADRIANUS HENRICUS BESIER, Indo-Batavus, privatim defensis Thesibus.

d. 25 m. Nov. Henricus Ludovicus Luder, Amstelodamus, privatim defensis Thesibus.

〃 28 〃 〃 Johannes Spoor, e pago Oss, privatim defensis Thesibus.

〃 11 〃 Dec. Otto Guilielmus Joannes Berg van Middelburgh, Amstelodamus, publice defenso Specimine, *de quaestione an bonae fidei emptor cogatur locatori reddere objecta ejus privilegii, tempore utili ab illo vindicata.*

〃 16 〃 〃 Guilielmus Bernardus Bergsma, e pago Odyk, privatim defensis Thesibus.

〃 22 〃 〃 Bernhard Godfried Henry Sträter, Mosa-Trajectinus, privatim defensis Thesibus.

〃 31 〃 Jan. Franciscus Dominicus Constantinus Victor Ariens, Haganus, privatim defensis Thesibus.

〃 18 〃 Febr. Janus Balthasar Strick van Linschoten, e pago Rhynauwen, privatim defensis Thesibus.

〃 25 〃 Mart. Petrus Jacobus Everts, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI,

INDE A DIE IX OCTOBRIS MDCCCLI AD XIV OCTOBRIS MDCCCLII,

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

NICOLAUS MULDER.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
J. GUIL. ERMERINS.
NICOL. MULDER.
GUIL. A. ENSCHEDÉ.
P. J. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
GUIL. MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
J. A. C. ROVERS.
J. J. PH. VALETON.
J. A. C. VAN HEUSDE.
M. DE VRIES.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. NIENHUIS.
J. H. PHILIPSE.
C. STAR NUMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

A. A. SEBASTIAN (Emeritus).
J. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
J. HISSINK JANSEN.
I. VAN DEEN.

LECTOR PAEDAGOGICES.

W. HECKER.

ORATIO

DE

IOHANNE BERNOULLIO,

EXIMIO MATHEMATICO,

IN ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST, OLIM
PROFESSORE CELEBERRIMO,

QUAM HABUIT

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ,

QUUM DIE XIV OCTOBRIS CIƆIƆCCCLII IN ACADEMIA GRONINGANA
MAGISTRATUM ANNUUM DEPONEBAT.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI! QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR HONORATISSIME!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, CONIUNCTISSIMI!

PAEDAGOGICES LECTOR ERUDITISSIME!

HUIUS ACADEMIAE CIVES, IUVENES LECTISSIMI!

QUOTQUOT AD SOLENNIA HAEC CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Iure suo nostrum aevum gloriatur florentibus et continenter increscentibus doctrinis. Nefas tamen est diffiteri, eas, partim certe, esse hereditarias. Nihil enim fere melius datum puto generi humano, quam facultatem thesauros illos scientiae, inventa quaeque praestantissima, optimos fructus meditationis singulorum sibi conservandi. Haec bona sibi impertiunt temporum aequales; ea cedunt et relinquunt suis in hoc terrarum orbe successoribus. Divitiae ita perpetuo communicatae et traditae fiunt commune quoddam generis humani universi bonum. Licet brevis sit vita mortalium, illam possessionem sibi tradentium, haec ipsa tamen non perit; nam a multis superstitibus servatur; nec decrescit, sed augetur a paucis e sagacissimis omnium eorum, quibus sensim cedit per longam seculorum seriem.

Eos vero, qui illas divitias aliis reliquerint locupletatas, oblivioni tradere non decet, quin potius eos celebrare et laudibus debitis ornare oportet. Mentis enim praeclarissimae dotes in causa fuerunt, cur invenirent, quod alios latuerat, quae facerent ut plus valerent aliis bene multis. Quidni igitur celebremus, qui excelluerint ingenio, verum cernendi facultate, iudicii acumine! Etenim in admiratione ipsa eorum, qui insigni fuerint generi humano ornamento, est quod sensui boni et divini optimis quibusque maxime proprio omnino placeat et omnes incitet ad virtutem.

Ne tamen admirationem et laudem tantum iis tribuamus. Qui limites scientiae humanae protulerunt, qui novas invenerunt vias ad veritatem, bene meriti sunt de cunctis posteris. Itaque gratum animum erga hos significare et beneficiorum, quae ab iis redundarunt, memores sese praestare, quisnam sanctissimum omnium officium esse neget?

Decet inprimis eos, quibus conservatio et propagatio alicuius doctrinae est imposita, curare ne exstinguatur memoria eorum, quorum inventis et laboribus haec ipsa scientiae provincia est amplificata.

Tali autem officio hac ipsa hora fungi est animus erga virum eximie de mathesi meritum; quod eo facilius decrevi facere, quia ipse olim illustre fuit ornamentum nostrae academiae, cuius festum diem nunc celebramus.

Dicam igitur de JOHANNE BERNOULLIO, *eximio mathematico, in Academia, quae Groningae est, olim professore celeberrimo.*

Ne tamen putetis me fuse dicturum esse de inventis eius ac scriptis. Ea tantum de eius vita et operibus memorabo, quae sufficiant ut veram eius imaginem vobis ob oculos ponam; utque ostendam quantum contulerit ad doctrinarum mathematicarum amplificationem perfectionemque.

Licet plus temporis quam seculum integrum ex eius obitu sit elapsum, non desunt ad virum illustrem recte cognoscendum subsidia. Nam si quis fuit qui publice vixerit, qui omnibus copiam se diiudicandi praebuerit, hic sane fuit. Fructus eius laborum magna scriptorum serie publici iuris sunt facti; quin intimam suam mentem prodidit in multis epistolis ad amicos eruditos scriptis et in lucem editis. Ipse vero memorabilia vitae suae scriptis mandavit; celeberrimique eorumdem temporum aequales in academiis Parisina et Berolinensi eius memoriam recoluerunt. Quibus equidem fontibus sedulo sum usus; neque in reprehensionem vestram me incursurum puto, si fassus ero etiam ex actis senatûs huius academiae me conquaesivisse, quae ad illustranda fata et opera viri clarissimi facerent.

Quodsi non prorsus imparatum ad opus accedere me profitear, nolite tamen credere abesse a me metum, ut debito modo de tanto viro coram vobis verba faciam. Persentio enim quam procul absim a dignitate oratoria, quam parum valeam ipsa illa lingua, qua uti hodie lege cogor. Itaque ne nimium a me postuletis oro; ne oratoris personam me agere

velle credatis. Simpliciter enarrabo maxime memorabilia, quae de BERNOULLIO mihi innotuerunt. Vos, Auditores humanissimi! simplicem illam enarrationem benevolis auribus excipiatis.

Laudibus sane celebranda est liberalitas Ordinum Groningae et Omlandiae, quum ineunte seculo decimo septimo decernerent in regionis suae metropoli veluti arcem doctrinis et humanitati tuendae exstruere. Condere voluerunt templum scientiae, satis amplum ut omnes doctrinas, quae ad salutem reipublicae et cultum ingenii humani augenda vim haberent, complecti possit. Non solum theologiam, iurisprudentiam, medicam artem ibi doceri iubebant, sed etiam linguas veteres, historiam, mathematicas disciplinas, omnes philosophiae partes, nulla disciplina excepta, quae in publicis scholis, in aliis academiis, doceretur. Quem in finem huc convocare decreverunt professores plures doctrina insignes, et facere quaecumque ad studia excitanda et promovenda valerent, ne quid in hac parte pulcro suo instituto deesset. Viri autem generosi, qui decreverunt hîc instruere scholam, quae universitatis nomine digna esset, susceperunt in se laborem graviorem et difficiliorem, quam ipsi antea videntur esse opinati. Brevi patuit sex cathedras, quas primo erexerant, occupatas licet a viris doctrinae laude claris, non sufficere. Itaque docentium numerus sensim augebatur; exeunte illo seculo novem iam fuerunt professores. Simul vero doctrinae ipsae non minus celeriter incrementa ceperunt; ita ut academia nostra illo tempore, aeque minus ac cum conderetur, esset universitas in qua nihil desideraretur. Nec tamen famae, quam sibi paraverat, id offecit; quum perpauca huius generis instituta, tum extra tum intra patriam nostram, illo tempore maiore docentium copia gauderent.

Facile intelligimus, non omnes doctrinas in instituto, in quo earum cultui pauci tantum doctores essent destinati, pariter floruisse, quin nonnullas paene neglectas esse. Me quidem iudice, illo aevo theologia et iurisprudentia plus hîc cultae sunt quam reliquae disciplinae. Raro harum aliqua (loquor de medica disciplina iisque, quae coniunctim ad facultatem philosophicam referri solebant), doctorem habuit sibi proprium. Vulgo cum aliis coniungebantur; ita ut interdum duae pluresve disciplinae diversissimae uni praeceptori docendae mandarentur.

Praecipue disciplinae mathematicae usque ad postremos seculi decimi septimi annos neglectae sunt. Alma nostra mater his, tunc temporis, instar novercae erat; nec cura tanta eas aluit quanta sorores natu maiores, Lugduno-Batava et Franequerana, quae mathematicos sibi devinxerant peregregios: SNELLIOS, SCHOOTENIOS, METIOS, FULLENIOS.

Non negamus, qui primus hîc escendit in cathedram mathematicam, NICOLAUM MULERIUM (quem simul medicinam docere oportebat), virum fuisse eximium, qui optime meruit de disciplinis, editis pluribus operibus, argumenti maxime astronomici. Sed ex eo inde tempore cathedra a quatuor continua serie sese excipientibus viris occupata est, quorum merita tenebris obruta latent; nullum quippe scriptum mathematicum ediderunt, nullaque propter discipulum aliquem celebriorem mentio eorum facta est in historia literarum. Horum primus fuit MATHIAS PASOR, qui professionem sibi oblatam cito et, uti videtur, lubens cum alia commutavit. Tum IOHANNES BORGESIUS, qui morbis et malis omnigenis coactus fuit labori academico et praxi, quam in hac urbe exercebat, medicae valedicere. Post huius obitum frater IOACHIMUS eius locum occupavit, titulo professoris matheseos et eloquentiae; quo duplice munere qua ratione sit functus me quidem latet. Hunc tandem excepit IOHANNES BERTLINGIUS, quem, postquam biennio munus suum gessit, curatoribus visum est liberare professione matheseos, idque, teste collega, qui ei parentavit, propter penuriam eorum, qui mathesi operam darent. Exinde institutio mathematica, qua tamquam onere liberaverunt BERTLINGIUM, prorsus defecit; ita ut nec geometria neque astronomia neque ulla disciplina alia mathematica hîc doceretur, sed cathedra, huic rei dicata, vacua relinqueretur; quod quidem per quinque lustra et ultra factum est. Hinc certe intelligitur, num iure an iniuria dixerim, disciplinas mathematicas hîc non semper floruisse, sed contra diu fuisse neglectas et tenebris obrutas.

Quae causae fuerint, cur in hac academia plures annos abstineretur a parte principe institutionis accuratae, non mihi constitit. Dissidium inter Urbem et Omlandiam saepius labefecit academiam, quin aliquando fere prorsus eam evertit. Nec tamen credo, hanc unicam fuisse causam infaustae apud nos conditionis matheseos, quam descripsi.

Hoc vero utut est, sapienter et omnino ex mente eorum, qui condiderant academiam, egerunt illi viri, qui tandem operam dederunt, ut vitium

iam inveteratum sanaretur, ut reviviseeret pars illa institutionis academicae quasi emortua. Nempe hinc factum est, ut matheseos diu neglectae doctor huc vocaretur illustrissimus, longe peritissimus; ita ut uno subito temporis veluti ictu transitus fieret a tenebris ad lucem. Neque enim multi fuerunt, quos huic pares habere liceat; erat vir in paucis eximius, non solum doctrina excellens, sed qui etiam novas vias ad amplificandam scientiam humanam ipse invenisset et aliis stravisset. Fuit ex parvo eorum numero, qui ingenii sui acumine et praestantia doctrinas integras condiderunt, qui, rerum sublimium novarum inventores, posterorum admirationem iure sibi sunt meriti. Illius viri doctrinae lux non solum hanc academiam illustravit, sed orbem eruditum totum. Quod quam vere dixerim sentietis, cum Iohannis Bernoullii nomen nuncupavero.

Basileae natus, annum agere coepit vicesimum nonum, quum huc veniret. Quodsi miramini, curatores academiae delegisse virum iuvenem, exterum, licet in patria tunc temporis minime deficerent, qui mathematicarum disciplinarum essent periti, sciendum, eos verosimile esse obsecutos auctoritati celeberrimi nostratis Christiani Hugenii. Constat saltem, Hugenium per marchionem Hopitalium Bernoullium adiisse de cathedra matheseos in hac academia occupanda. Quod circiter eodem factum est tempore, quo eadem illi professio deferretur Halis, idque auctore praeclarissimo viro Leibnitio. Bernoullius tamen nostram academiam praetulit, in qua sub finem a. 1695 novum suum munus gerere coepit.

E commendatione ab eruditis profecta, quales Leibnitius et Hugenius fuerunt, statim coniicitis, huc vocatum doctorem virum fuisse insignem. Quod si scire aveatis, quaenam fuerint viri merita, rem paulo altius repetere oportet, et mentionem facere duorum inventorum memorabilium, quae mathesi hodiernae eam dederunt praestantiam, qua prae antiqua eminet, tum ambitu et gravitate applicationis tum universali contemplationis ratione.

Utrumque inventum pertinet ad seculum decimum septimum. Primum Cartesio debetur, qui pro sua sagacitate vidit quam plene simul et breviter res, de quibus in geometria agitur, exprimi possint per aequationes algebraicas; cuius rei fructus is est, ut proprietates illarum rerum ex iisdem formulis, quibus continentur, simplice calculo algebraico in lucem

protrahi possint. Ipse autem ostendit, analyticum illum algebrae in geometrica indagatione usum eo tendere, ut superarentur fines, quibus acutae sed speciales disquisitiones geometrarum huc usque fuissent circumscriptae.

Immensus campus novae indagationis iam patebat unicuique Cartesianae analyseos perito. Sed hîc quoque apparuerunt difficultates. Solitae operationes algebraicae deficiebant in multis problematis, in quibus rationes definiri debebant quantitatum infinite parvarum; quales sunt v. g. particulae minimae lineae alicuius curvae. Talia vero problemata sponte occurrebant, eoque plura, quo per maiores progressus in rebus physicis et mechanicis cogebantur eruditi explorare indolem diversorum generum linearum curvarum, quarum proprietates huc usque numquam fuerant investigatae. Multi mathematici iam omne ingenii acumen adhibebant, ut eiusmodi defectibus calculi prospicerent; quod quamvis saepius feliciter iis succederet, desiderabatur tamen methodus universalis calculi quantitatum infinite parvarum, quae omnigenis aequationibus algebraicis accommodari posset.

Una est e multiplicibus magni Newtoni laudibus, quod primus invenit analysin infinitesimalem, qualis requirebatur ad doctrinarum mathematicarum incrementum. Vir tamen eximius tamquam arcanum celavit primum methodum analyticam suam; quam tandem, paene nolens dixerim, publici iuris fecit, postquam ea usus fuerat in difficillimis illis disquisitionibus, quarum eventus memorabiles exposuit in opere immortali, quo agit de mundi systemate, quodque *Philosophiae naturalis principia mathematica* inscripsit.

Diu antequam opus hoc in publicum prodiit, antequam Newtonus calculum suum *fluxionalem* aliquatenus cum orbe erudito communicaverat, alter vir illustris Leibnitius, via philosophandi sibi propria, invenit methodum subsimilem; qui calculus novus *differentialis* item nonum in annum premebatur; sed citius tamen prodiit quam Newtoni, qui, quod sensim magis magisque intellectum atque agnitum est, Leibnitiano aptiori algorithmo cedere debuit.

Inventum autem hocce analyseos infinitesimalis alterum momentum princeps est in historia matheseos, quod memorare debebam. Maiores etiam fuerunt huius successus quam Cartesiani inventi, quod ei praeiverat.

Hoc enim unam spectavit geometriam, quam magnopere auxit; illud omnes matheseos partes mirum in modum ita provexit et amplificavit, ut, cum incrementorum illorum antea ne vel levissima quidem suspicio esset, novam disciplinam pareret, quae maxime facit, ut causae phaenomenorum naturalium accurato et certo calculo submitti queant.

Leibnitius calculum suum differentialem primum tradidit scriptiuncula pagellarum perpaucarum, quinque sexve, quae plus valuit ad aestimandam methodi ubertatem, quam ut ipsa clare et perspicue unicuique ob oculos poneretur. Iste libellus, qui, uti postea apparuit, instar sphyngis aenigmatis erat fere omnibus illius aevi mathematicis, forte fortuito incidit in manus duorum fratrum, incredibili mentis animique ardore Basileae studiis mathematicis deditorum; in quibus tantopere profecerant, ut non solum optima quaevis intelligerent qûae veteres de geometria scriptis tradidissent, sed etiam scripta recentiorum mathematicorum, praecipue Cartesii huiusque commentatorum. Minor natu fratrum, Iohannes Bernoullius, tunc vitae annum agebat decimum octavum; alter, tredecim annis aetate superior, Iacobus, dux ei fuerat in studiis mathematicis.

Ingenita vis utrumque ad ea studia quasi compulerat. Ad has res, licet pater magnam ceterum curam eorum institutioni impendisset, ab eo non fuerant incitati, quin potius ab illis repulsi. Maiori natu ne usus quidem librorum de mathesi scriptorum a patre fuerat concessus; ita ut ab aliis eos perlegendos acciperet et clam devoraret. Quam vehemens doctrinae huius cupido eum ferret, ita ut patri obsequi non posset, intelligitur ex emblemate, quod eo tempore usurpavit, quodque repraesentabat Phaëtontem Phoebi currui insistentem cum epigrapho: *"invito patre sidera verso."*

Neque alia mens fuit fratris, cui primum mercaturae destinato postea concedebatur uti institutione academica in urbe sua patria. Luctantes enim cum multis impedimentis, quae iis obiiciebantur in via quam ingredi cupiebant, semper, genio suo ducti, redierunt ad eam disciplinam, quae lumine veritatis eos allicere numquam desiit. Uterque totam vitam eximias mentis facultates intendit ut altius altiusque evolaret.

Cui rei eo tempore Leibnitii quoque scriptum occasionem praebuit; quin ipsa obscuritas opusculi incitamentum illis erat, ut intelligere discerent; quod intra paucos dies iis ex voto successit. Quo facto aditus illis

patuit ad latebras, in quas penetrare sine illo instrumento numquam potuissent.

Brevi frater natu maior, soluto problemate quodam, a LEIBNITIO publice proposito, ostendit, quam perite nova analysi uti sciret. Nec tamen natu minor superare se patiebatur; quippe qui primus inveniret methodum adscendendi ab infinite parvis ad quantitates finitas, quarum illae sunt elementa vel differentiae. Quae methodus ab illo nomen accepit, quod in hunc usque diem servavit, *calculi integralis*.

Qui quid valeret, ostendit solutis pluribus problematis physicis mechanicis. Unum vero ex his, catenarium dicitur, tam difficile erat, ut fratri non contingeret id solvere; ita ut, hoc auctore, id toti orbi erudito proponeretur solvendum. Praeter IOHANNEM BERNOULLIUM ipsum HUGENIUS et LEIBNITIUS quaestionem solverunt, nec praeter hos tres alius quisquam in certamen descendit. Fuit autem eventus hic, ut praestantia novae analyseos inprimis solutione iuvenis Helvetii in clara luce poneretur; ita ut vel HUGENIUS, victoriis in hoc certaminis genere illustris, agnoscere cogeretur suam, quam usurpaverat, methodum esse inferiorem, itaque se gestire possidere arcanum aemulorum suorum.

Ergo LEIBNITIUS in utroque BERNOULLIO nactus erat socios praestantes, qui mentem suam prorsus caperent. Plus quam ullus alius uterque analysin infinitesimalem excoluit eamque in usum communem transtulit; quod semper gratus agnovit vir ille eximius, qui testificaretur: "id iam BERNOULLIOS effecisse, ut iam non ipsorum minus quam suus calculus videretur."

Iuniori quoque ea debetur laus, quod primus novum hunc calculum alios docuerit. Postquam aliquot menses Genevae versatus fuerat, ut satisfaceret desiderio nobilissimi viri CHRISTOPHORI FATIONIS, qui novam analysin discere cupivit, suscepit iter per Galliam. In quo regno a doctrina excellentibus quibusvis viris amico modo excipiebatur et familiaritatis vinculo cum non paucis eorum coniungebatur. Nemo tunc mathematicorum Gallorum penetraverat in novum illud regnum, a LEIBNITIO praecipue conditum; quod tamen cognoscere nonnulli cupiebant. Itaque hi BERNOULLIUM adibant, ut adiuvarentur et docerentur. Ex discipulis, quos ibi inter viros doctos habuit, VARIGNONUS, praecipue autem vir nobilissimus marchio HOPITALIUS, claruerunt;

quorum hic de geometria analytica, ille de mechanica optime meruit. Ipse BERNOULLIUS, quum ita analysin sublimiorem in Galliam introduxit, simul eam non parum excoluit et auxit; quod patet maxime ex ea calculi differentialis parte, quam *exponentialem* vocavit, tunc temporis ab illo inventa.

Tandem Basileae reversus, ibi vitam agere decrevit. Medicinae iam operam navare coepit; nempe munus aliquod requirebat, quo vitam sustentaret. Peractis studiis medicinae doctor creatus est, defensa dissertatione: *de motu musculorum;* in quo argumento tractando item occasionem reperit applicandi egregia ratione analysin mathematicam. Anno sequente fortuna illi arridere coepit, quum huc vocaretur. Ex illo nempe tempore dilectis sibi disciplinis totum se tradere ei contigit.

Facile iam intelligitis, Auditores! virum, qui recens excogitatam analysin mathematicam plus callebat quam quivis alius, qui eam suis inventis augebat, qui tum illius disciplinae praestantia tum ingenio eximio praeclaros bene multos aevi sui viros superabat, ab HUGENIO omnium maxime idoneum fuisse habitum, qui vacantem cathedram Groninganam occuparet. Nec mirum, curatores academiae exterum, a tam claro viro commendatum, civibus ipsis praetulisse.

Atque exterus licet esset, pluribus tamen vinculis cum patria nostra fuit adstrictus. Originem scilicet duxit e stirpe Antverpiensi, quae e Belgio fuga se receperat, quum ALBA dux crudelissime ibi conscientiae et religionis libertatem oppprimeret. Quin qui primus veram in studiis mathematicis viam ei monstraverat, frater IACOBUS, plurimum debebat academiis Hollandicis, quas summo cum utilitatis fructu adiverat; multos eruditos patrios cognoverat, cum quibus literarum commercio erat coniunctus. Ita factum est ut, Cartesiana geometria imbueretur, qua eo tempore nihil sublimius cognitum erat in disciplina rerum mathematicarum. Quin quod subito suarum virium conscientiam persentire coepit brevi illo tempore, quo in patria nostra degit. Ipse enim: „huic Belgicae commorationi illud se debere saepe „praedicabat, quod excussis, quibus hactenus immersus fuerat, tenebris, „sanioris philosophiae et demonstrationum mathematicarum, quas a prae„stantissimis eius doctrinae magistris publice videbat exhiberi, dulcedine „inescatus, ipse quoque ad illorum exemplum ad altiorem aliquem doctrinae „gradum viam affectare coepit."

14*

His copiis instructus institutionem mathematicam fratris IOHANNIS in se susceperat, cui quidem scientiae fructus tradidit, quos ipse in Belgio perceperat. Qui tamen ipse brevi praeceptores antecelluit, suaque vice discipulum erat nactus, haud diu post ipsi parem futurum. Pari animi ardore, eventu pariter felice, certamine sensim sensimque acriore uterque virium periculum fecerat in analysi illa nova. Quum IOHANNES huc vocaretur, iam acriter aliquamdiu cum fratre IACOBO contenderat de principe loco; quin mathematicis nostratibus facile reddere potuisset bona, quae ex institutione fraterna Basileae in eum redundaverant; quippe nemo erat eo tempore in nostra regione, qui non cogeretur ei submittere fasces. Magnum illud lumen HUGENII brevi ante eius adventum erat exstinctum: „HUDDENIUS „autem, consul Amstelodamensis, dudum speculationibus geometricis „valedixerat."

Nemo quisquam plura in institutione ab eo exspectavit, quam LEIBNITIUS, qui: „tuam" inquit in literis „apud foederatos Belgas habitationem, magni „usûs fore arbitror ad methodi nostrae propagationem. Cum enim plurimi „in Batavis algebram colant, multa utilia dabunt, ubi huc animos con„verterint."

Nec tamen affirmare licet, spem non fefellisse eventum. Huc delatus BERNOULLIUS non invenit discipulos algebram colentes; non invenit qui ita essent instituti, ut sublimiores ipsius rationes intelligere possent. Itaque metuere coepit, ne maximam temporis partem, cum insigni detrimento suorum profectuum, consumere deberet in elementis inculcandis.

LEIBNITIUSne igitur falsum tulerat iudicium de matheseos in nostra patria conditione? Ne hoc quidem; verum ignorabat, doctrinam illam in hac academia diu neglectam, quin per viginti et sex annos omnino ne traditam quidem fuisse. Nonne suspicari licet, propaedeusin ad academiam in hac provincia eodem laborasse vitio, quo ipsa academia; ita ut vel optime instituti cursum academicum inciperent sine ulla notitia elementorum geometriae? — Ego pro certo habeo, futurum fuisse ut, si disciplinae mathematicae in hac schola continenter a viris peritissimis fuissent traditae, BERNOULLIUS hîc habuisset discipulos satis provectos, ut thesauros eruditionis viri praeclari cum fructu suo potuissent accipere.

Quemadmodum autem morbus inveteratus non illico sanari potest, ita

doctrinae dudum neglectae non subito reviviscere et efflorescere solent, simul ac vir aliquis doctus, vel etiam omnium omnino maxime earum peritus, iis opitulari incipit. Opportunitate opus est, ut laboret; tempus requiritur, ut semen terrae mandatum evolvatur, idque longius quo diutior fuerit vis frigoris hyemalis. Satis habetote, si semen bonos ferat fructus; ne praematuros nobis poscamus.

Bernoullius hanc academiam, in qua per duo lustra elaboravit, celebrem reddidisse sedem disciplinarum, quibus ipse excelluit, haud ego contendo. Id affirmare licet, illum conditionem matheseos meliorem reddidisse, idque honori illi fuisse.

Discipulos autem hîc habuit, qui animos converterent ad sublimiora in mathesi, non multos sed eos praestantes; e quibus, quem ipse praestantissimum omnium praedicare solebat, nuncupo Tiberium Hemsterhusium, qui, Ruhnkenio teste, Bernoullium divino munere sibi praeceptorem obtigisse, cum gaudio, quod vultu et oculis proderetur, fateri solebat. Constat eruditos peregrinos plurimos eximium virum visitatum hanc urbem adiisse; sed quamquam ita numerus creverit eorum, quibuscum commercio literarum iunctus fuit, numerus tamen auditorum non videtur auctus.

Eo decennio, de quo iam agimus, academici cives magnam partem erant exteri. Palatini praecipue, exsules religionis causa, complures ad urbem hanc se receperant et theologiae operam dabant. Quae vero causa est, cur non undique ex Europa huc confluerent, qui sublimiore analysi mathematica initiari vellent, nova illa disciplina, cuius praestantiam orbis literatus cum plausu et admiratione excipiebat, sed quae, nondum libris exposita, non docebatur nisi in scholis Basiliensi et Groningana? Qui factum est, ut ad hanc academiam non confluerent scholas mathematicas Bernoullii frequentatum, quemadmodum aliquot annis post Lugdunum ad disciplinam chemicam et medicam Hermanni Boerhaavii? Fortasse, inquis, quia ipsa res fert ut pauci omnem ingenii vim ad mathesin intendant, plerisque ex aliis studiis vitae praesidia petentibus. Concedo equidem; sed praeterea aliam quoque causam ego video, i. e. novitatem altioris illius fastigii, ad quod a Leibnitio et Bernoullio utroque mathesis erat evecta; quippe eiusmodi inventa non nisi pedetentim cum multis communicantur, et vero suo pretio seriore demum tempore aestimari solent.

Nec tamen ita haec accepta velim, ac si publici BERNOULLII labores hîc parvi fuerint momenti, vel quasi fere ei defuerit occasio scholas habendi. Nimirum non solum matheseos sed etiam philosophiae professio illi mandata erat. Ipse biennio postquam huc migraverat, narrat quotidie sibi de his disciplinis tres vel plures lectiones habendas fuisse, et vix tantos labores ferre se potuisse.

Quam philosophiae partem primum docuerit, vix certo licet dicere. Fuerunt eo tempore tres professores philosophiae, quorum singulis, ut ad aemulationem incitarentur, academiae curatores concesserant libertatem „omnis generis privata collegia et exercitia philosophica instituendi."

Memorabile profecto decretum, documentum insigne liberalitatis, quam ab istis temporibus vix exspectaveris. Sed vel magis curatoribus et provinciae Ordinibus honori fuit, eos brevi post BERNOULLIO officium detulisse *philosophiam experimentalem* docendi, i. e. physicam experimentis illustratam; quem in finem liberali manu ei concesserunt quibus indigebat subsidia.

Antea haec disciplina erat incognita. Institutio physica erat enarratio phaenomenorum et maxime disputatio de eorum causis. Testimonia scriptorum afferebantur, ipsa natura in scholis non interrogabatur. Sed ab eo inde tempore in hac academia naturae phaenomena demonstrabantur eorumque leges de experimentis deducebantur, certe experimentis declarabantur et confirmabantur; quod quantos fructus necessario adferre debuerit interiori naturae cognitioni, non est quod dicam. Angli honorem huius emendatae institutionis physicae adscribere solent KEILLIO suo, quum contendant, hunc primum illam methodum anno quarto quintove seculi superioris Oxoniae introduxisse; sed BERNOULLIUS, ut vidimus, eo tempore iam annis septem vel octo ante hac in re praeire coeperat.

Ne putetis tamen laudem, quam ei tribuimus, recte physicam docendi, ei unanimi civium suorum consensu tunc fuisse habitam. Erant qui moleste ferrent novas illas scholas, qui philosophiam experimentalem cum contemtu *sapientiam* vocarent *theatralem*; nec deerant, qui eum accusarent sacrilegii, quia in templo, Dei cultui destinato, res physicas demonstrare solebat.

Nempe in choro templi, tunc temporis academici, ubi reliqua exercitia academica haberi solebant, publice et solemniter experimenta instituit.

Quod autem maxime eum movit, ut publicas eiusmodi haberet lectiones (a quibus forte ostentatio quaedam non prorsus aberat), probabile erat hoc: scilicet voluit, ut illi, qui eum copiis instruxerant ut experimenta facere posset, horum eventuum memorabilium testes ipsi essent oculares. Quin si quid excusandum hîc videatur, addere licet, eum, scholas eiusmodi solemnes habendo, non nisi aevi sui mori obsecutum esse; quippe anatomes professor nullum hominis, quin ne *canis* quidem, cadaver secare solebat, quin ad valvas academiae curatores, proceres, professores, cives academici et quicumque doctrina insignes essent, invitarentur, ut solemnem actum praesentia sua condecorarent.

Eodem vero tempore etiam alia res in BERNOULLIO nonnullos theologos in hac urbe graviter offendit, graviterque adeo ab iis inculpatus est, licet parum iuste. Scilicet factum est, ut in disputatione publica philosophica, quum attingeretur quaestio de conditione mortuorum post resurrectionem, diceret sibi videri, corpora humana non eadem conditione resurrectura. Nimirum voluit ea non resurrectura cum omni materia, e qua antea composita fuerant; quia nempe corpora viva maxime fluxam habent materiem; ita ut singulis temporis articulis materiae mutatione et conditio eorum et compositio mutentur.

Quid autem? Vixdum enunciatam opinionem statim, ut ipse refert, nonnulli criminari coeperunt, exagitare, explodere et ut orthodoxae religioni adversantem damnare et exsecrari. Urbs tota rumore implebatur, BERNOULLIUM esse socinianum, eum docere novam creationem corporum novorum in resurrectione, nescio quae alia insuper, de quibus ne somnio quidem cogitaverat. Brevi verbi divini ministri publice perstringebant philosophos, quasi qui seducerent studiosam iuventutem, subverterent veritatem revelatam; verbo, BERNOULLIO infelicissima quaeque imminere videbantur.

Satis notum est, quam gravis esset eo tempore accusatio Socianismi. Actum fuisset de BERNOULLIO, nisi potuisset ac voluisset liberare se inusta haereseos macula. Potuit vero, quippe socinianam doctrinam, quoad eam cognoverat, aversabatur; nec vero defuit voluntas, quippe qui non ita erat comparatus, ut, si quis eum adoriretur, id patienter ferret.

Itaque periculum acriter defendit. Conscripsit tractatum medico-physicum *de nutritione*, in quo exposuit doctrinam suam de perpetua mutatione

materiae in corporibus vivis; addidit autem quae facerent ad defensionem suam ab iis quibus inculpabatur. Quum hanc dissertationem, vel potius se ipse, defendere vellet, adversariis publicum indixit certamen, quod, multis auditum et disputatum concurrentibus, felicissimo eventu non caruit. Nempe lis ita quodammodo exstincta fuisse videtur; quod partim etiam factum, quia collegae eius theologi steterunt ab eius partibus, inprimisque BRAUNIUS, vir strenuus et acris indolis litigandique artis peritissimus, quippe qui plures sustinuit lites, quam multi duces proelia commiserunt.

Nihilominus BERNOULLIUS multis de heresi suspectus mansit; quod tot molestias ei peperit, ut biennio elapso ex litium initio nondum rem silentio demittere se posse censeret. Itaque rectoris munus deponens orationem habuit, quam ipse profitebatur, apologiam esse *pro sua fama, honore, religione.*

Eadem vitae periodo, qua propter suas in religione opiniones in reprehensionem incurrebat, simul insignia tulit documenta, merita in doctrinis iusto pretio aestimari perrexisse. Nec mirum; nam quum in hac urbe degeret non desiit excolere et perficere analysin. Cum academia Gallica, penultimo anno seculi decimi septimi, novo modo componeretur, id ei concedebatur ut exteros octo socios sibi adsciscere liceret. Inter octo eruditissimos et praeclaros illos exteros, quos sibi delegit, non solum NEWTONUS et LEIBNITIUS fuerunt, sed etiam BERNOULLIUS uterque. Quin quum biennio post Elector Brandenburgensis Berolini academiam doctrinis colendis conderet, illi quoque socios adscripsit BERNOULLIOS. Similique honore affectus est postea IOHANNES Londini, Boloniae et Petropoli.

Academiae Groninganae non contigit virum eximium usque ad obitum possidere. Duobus lustris elapsis, per quod temporis spatium, ut vidimus, non mediocriter fuit tum vituperatus tum honoratus, rediit in urbem in qua in lucem fuit editus. Nempe reliquerant ibi ipse et uxor parentes, qui magis usque reditum eius sibi expetiverunt. Illi desiderio parentum obsecutus suscepit tandem cum suis iter in patriam; idque fortasse ibi habitatum, certe non ut Groningam rediret. Profectus autem est ex urbe nostra eodem die, quo Basileae celebrabantur exsequiae fratris IACOBI, cuius morbus gravis eum latebat, cuius obitum in ipso itinere demum intellexit.

Basileae redux salutatus est ab universo senatu academico, ab eoque est invitatus, quin flagitatus, ut damnum praeclari fratris resarciret; urbis autem magistratus honorarium ei addixit peculiare, quod ei procuraverant ipsi illi viri, qui collegam eum habere cupiebant. Illa benevolentia et liberalitas eum moverunt, ut ne cathedram Basiliensem recusaret. Brevi vero post munus auspicatus est habita oratione: *de fatis analyseos et geometriae sublimioris.* Iure autem animadverterunt neminem digniorem fuisse, qui ista fata commemoraret, quam qui principem personam in his rebus ipse egisset; quemadmodum CAESAR, quum commentarios de rebus a se gestis conscriberet.

Ne tamen putetis in nostra patria non factum esse quodcumque fieri potuit, ut eximius vir nostris civibus servaretur vel denuo acquireretur. Ultraiectini, qui, quum hîc degebat, iam operam dederant, ut suam academiam praesentia eius condecorarent, omnem iterum vim intendebant, ut voti compotes fierent, cum academiae huic valedicturum audirent. Miserunt in eum finem ad illum professorem suum eloquentiae, PETRUM BURMANNUM; cuius tamen oratio non movit eum, ut ab itinere Basileam faciendo abstineret. Eodem autem tempore BERNOULLIUS etiam ab academia Lugduno-Batava invitatus fuisse videtur, ut eo migraret. Sed item frustra. Nec melius successere conamina curatoris primarii eiusdem academiae, comitis VAN WASSENAAR OBDAM, qui, quinquennio post, honorificentissime illi obtulit honorarium tam liberale, ut ne ipse BOERHAAVIUS quidem eo tempore tantum acciperet; neque haec res eum a Basilea avellere potuit.

Quodsi quaeratis num academia nostra illo tempore non senserit aliquod viri tanti desiderium, an vero magnum dolorem ex eius abitu perceperit, fateor me hac de re certo affirmare nihil posse. Sed instabat triste tempus, quo dubium fuit num ipsa florere pergeret, an vero ad interitum vergeret. Vixdum autem tristia illa tempora praeterierant, vixdum Ordines huius provinciae decreverant almam disciplinarum matrem ad vitam paene exstinctam revocare et illustriorem quam antea restituere, cum viri, quibus eius cura mandata erat, BERNOULLIO insigne dedere documentum, quanti eum facerent, iterum eum huc vocando. Sed frustra, quemadmodum brevi antea Paduam frustra vocatus fuerat. Basileam non deseruit.

Non tamen iure inde effeceris urbem illam et munus, quo ibi fungebatur, ei resarcivisse omnia, quibus hîc valedixerat. Quaestus est, se ibi destitutum fuisse copiis necessariis ut physicam experimentalem coleret, quibus hîc fruebatur. Desideravit quoque aptum huius urbis situm, ut commercium literarum cum eruditis aliarum regionum aleret; nimirum illo aevo Provinciae Foederatae omnino centrum quoddam erant totius orbis eruditi. Seriore vero aetate aliae praeterea causae fuere, cur minus iucundam vitam Basileae ageret, et cur vel senex in longinquam adeo sedem literarum abire maluisset, nisi vires fractae eum admonuissent, se non longe abesse a fine vitae et laborum suorum. Obiit autem octogenarius, postquam integris viribus mentis et corporis quadraginta duos annos prodesse ei contigit isti academiae, quorsum postremo cesserat.

Non longus ero in enumeratione fructuum, qui ex illius labore per tam longum spatium in posteros redundarunt. Civitas eius ideo etiam grata mente eius memoriam recolit, quia publicam iuventutis institutionem ibi multum emendavit. Sed praeterea eiusmodi beneficia genus humanum ab eo accepit, quae neque moeniis urbis neque limitibus regionis cuiuscumque circumscribuntur. Scientiae copias, inventa sua toti orbi terrarum obtulit, neque ullam neglexit opportunitatem homini datam cogitationes suas cum aliis communicandi. Commercio literarum cum Leibnitio aliisque viris aevi sui ingeniosissimis coniunctus fuit fere ad mortem usque; ita ut affirmare liceat ab illo commercio paucos fuisse exclusos, qui ad amplificationem disciplinarum mathematicarum et physicarum symbolam contulerint. Quo literarum commercio nova inventa praeparabantur, ipsa inventa explorabantur, emendabantur, augebantur. Quodcumque ipse satis excoluisset publici iuris fecit. Magno quidem numero sunt scripta ab ipso edita, quae nostro quoque tempore teruntur et summa admiratione digna habentur.

Sed praeterea per longam annorum seriem praeceptor fuit aliorum. Auctor quidem fructus meditationum suarum aliis tradit; praeceptor vero methodum suam, cogitationum intimam rationem, ipsam suam mentem et animum suum cum aliis communicare valet. Quot autem fuerint, quibus occasio fuit ea accipiendi a Bernoullio, quae librorum lectione haud traduntur, inde intelligitur, quod non solum iuvenes in academia, in qua docebat, studiis dediti, sed etiam undecumque ex universa paene Europa multi confluerent ad eum,

tamquam ad principem matheseos magistrum; e quibus viri etiam fuere iam magni nominis et doctrinae laude clari. Ubi cathedrae vacarunt mathematicae, BERNOULLII discipulis prae reliquis obferebantur; etiam academiae Nederlandicae professores ex illius scholis acceperunt egregios: nostra DE CROSAM, Franequerana KÖNIGIUM. Quin citari possunt e BERNOULLII discipulis, qui vel maiorem his famam sibi acquisiverint, KÖNIGII commilitones MAUPERTUISIUS et CLERALDUS, quorum hic Gallicae, ille Borussicae academiae decus fuit. Tum CRAMERUS, HALLERUS, JOH. GESSNERUS et maxime scriptorum immortalium magnae copiae auctor sagacissimus LEONARDUS EULERUS, Basiliensis, qui, magistri ad exemplum, per decem lustra ante alios omnes auxit excoluitque analysin mathematicam. Tandem cito tres filios BERNOULLII ipsius, qui amore matheseos patri sunt aequiparandi cumque eo ingenii acumine contendisse censendi sunt: NICOLAUM, DANIELEM et IOHANNEM BERNOULLIUM, quorum priores duo collegae patris fuerunt in academia Petropolitana, tertius vero successor ei fuit in cathedra Basiliensi. Vir quidem, cuius discipuli quaquavorsum dispersi per Europam, quocumque irent, fuerunt antecessores in disciplinarum cultu, sane non frustra elaboravit et docuit; non sibi soli vixit, sed et suae aetatis hominibus profuit et posteris.

BERNOULLIUM autem ductum fuisse studio aliorum saluti inserviendi, testantur literae in quibus intimum animi sensum amicis aperit. Iam adolescens sensisse videtur veritatem hanc: eos qui multa acceperint, multorum illorum rationes reddere debere. Nempe ut titulum magistri artium et philosophiae adipisceretur annos duodeviginti natus, confecit scriptum, in quo sententiam explicuit hanc: *principes in rebus publicis nasci in commodum populi.* Ipse vero inter eruditos instar principis fuit potentissimi. Hunc autem locum non debuit doctrinae suae copiae, non rebus ab aliis acceptis, sed propriis suis viribus, ingenii sui praestantiae. Novas vias disciplinae suae sternere, novas regiones in doctrinarum orbe detegere easque sibi submittere volebat. Quin quam senserit ipse insitam illam in se inveniendi vim, optime perspicietis ubi ipsum audiveritis. „Aegre, inquit, feror ad diuturnam lectionem librorum, ad scribendum, „ad calculandum, verbo ad omnia, quae corpus et inprimis oculos fatigant. „Ob hanc rationem paucos omnino evolvi authores, imo ne quidem CARTESII

"geometriam attente me perlegisse asserere possum, — praecipua namque "quae in mathesi facio inventa, inter nocturnas horas, quas somno suffurari "soleo, mihi sola mentis attentio suggerit, nullo plerumque arrepto calamo ad "faciendum calculum, quem licet prolixissimum sola mente longe expeditius "instituo, quam si notas in chartam coniicerem." Quid autem Auditores! suntne haec verba vanitatis, animi levitatis indicia? Ne falli nos patiamur. Non sunt arrogantiae, sed potius nativae facultatis. Probe suarum virium conscius, nondum tamen complexus est amplitudinem et copiam beneficiorum aliis praebitorum. Nimirum neque alius quis, neque ipse suo tempore praevidere potuit, quibus et qualibus inventis progressibusque posterorum viam stravisset. Vultisne exemplum? Admiramini puto mecum praestantiam disciplinae, quae tum actionem mutuam astrorum in systemate nostro solari certo calculo submittit, tum rationem intimam cuiusvis machinae, quae requiritur ut labor aliquis perficiatur. Non dubitatis quin magni intersit civitatis, imo generis humani totius, doctrinam aliquam talia efficere posse. Ecce! illa doctrina, quae fructus praebet eiusmodi, mechanica, nonne hodiernam suam praestantiam maximam partem debet statico cuidam principio, quod quam late pateat Bernoullius primus vidit? Nec vero huius inventi praeco fuit, ita ut omnibus sese hoc invenisse praedicaret. Minime. In epistola tantum rem perscripsit Varignonio, disciplulo suo.

Ne tamen sic existimetis, me soli sagacitati mentisque acumini, quae in Bernoullio fuere, egregium eventum eorum, quae meditatus est, adscribere. Partim nempe res etiam tribuenda est ipsi meditationis argumento; quippe haec est eximia matheseos virtus, ut prae ceteris disciplinis ducat ad verum certa via inveniendum. Praestantissima sui seculi lumina, Cartesius, Hugenius, Newtonus, Leibnitius non eodem successu gavisi sunt in omnibus iis, quae indagaverunt; nonnulla ex eorum operibus paene iam oblivioni sunt tradita; sed quaecumque aut in mathesi, aut per mathesin invenerunt, supersunt, necdum hodie pretio suo destituuntur, quin sensim magis magisque de eo constitit. Bernoullius vero quasi vitae suae tabernaculum collocavit in eximia illa disciplina, quae numquam non fructibus beavit excellentissimos inter ipsius amantes.

Nec tamen in viro egregio, ut sumus homines, defuit quod reprehen-

deretur. Fuit severus et duro, fatendum est, pectore. Sui temporis aequales eum laudarunt propter iusti sensum, animi candorem et simplicitatem. Iure quidem. Epistolae, alia opera, ostendunt virum ab omni falso fictoque alienissimum. Iusti vero studium alte in eius animo inhaerebat; quod sine dubio cohaeret cum perpetua illa in vera a falsis distinguendo mentis exercitatione. Nec tamen abfuerunt, quae voluntati suum cuique tribuendi vehementer obsunt, superbia et aemulatio. Hae fecerunt, ut nonnumquam debitum aliis honorem non redderet, ut ad contentiones laberetur, in quibus vehemens fuit ac pertinax; quin utraque eo usque eum invasit, ut vel caritatem erga consanguineos nonnumquam vinceret. Scriptis publice editis contendit cum fratre Iacobo; in qua contentione nec iustus fuit neque a veri partibus stetit. Quin vix placuerunt illi acutissimae mentis indicia in filiorum uno, cui postea vel invidebat victorias in disciplinis mathematicis reportatas. Sed malo de his tacere, quae eo magis sunt in illo reprehendenda, quo plus aliis nominibus iure excellentissimus dici meretur. Utinam similior fuisset fautori suo et amico Leibnitio in amicitia colenda, in inimicitiis vitandis, integro licet veri studio! Utinam perspexisset magisque persensisset eruditis maxime humanitatem ornamento esse, eosque, nisi meliores ipsos reddat doctrina, aliis quidem non sibi profuturos.

Alia etiam tempora pariter atque ista, quorum mentionem fecimus, lites eheu! eruditorum vehementes protulerunt, ex aemulatione ortas. Sed numquam illud partium studium tantopere animos eruditorum diversarum gentium commovit quam illo tempore. Et vero Bernoullius noster isti litigationi non semel ansam praebuit, quin eam valde suscitavit, continenter certaminibus indictis ad solutionem problematum difficiliorum, quae obtineri non potuit, nisi quis novis methodis inventis viam sibi ad solvendum stravisset; quae res tamen magno fuit incitamento ad mathesin acriter excolendam. Inter mathematicos Anglos unus tantum fuit, qui par erat paucis illis in reliqua Europa, qui callebant calculum differentialem, Newtonus. Taedebat tunc Anglos difficultatis et victoriarum raro reportatarum; hinc fuerunt, qui coeperunt abiudicare Leibnitio honorem inventionis calculi, quo cum sociis suis tam feliciter utebatur, quum contenderent fieri potuisse ut methodum suam hausisset ex invento aliquo anteriore Newtoni; exstiterunt adeo, qui plagiarium eximium virum dicere non vererentur. A quo

maiorem honorem neque cupide quaerentem neque valde recusantem abduxistis et vestrae voluntati obtemperans aliorumque auctoritati non invitus cedens munus oblatum recipio. Quantum oneris mihi imponatur, non ignoro; — magnum enim est literas et Graecas et Latinas docere, iisque historiae scientiam et antiquitatis disciplinam adiungere; — quanta opus sit ingenii vena, quanta eruditionis copia, quanta prudentia ad omnes huius provinciae partes non dicam optime, quod nescio an a nullo fieri possit, sed bene implendas, scio; quibus viris succedam, qui inde ab illo Vossio in hac Musarum sede literas docuerint, ex libris et sermonibus cognovi; atque haec omnia eiusmodi sunt, ut me plane conturbarent, nisi confiderem studiosae iuventutis facilitate, collegarum humanitate, vestra, Viri Amplissimi, aequitate et benevolentia, maximeque Supremi Numinis, cuius provida cura haec omnia reguntur, ope et auxilio. His praesidiis munitus antiquitatis disciplinam adolescentibus ita tradere conabor, ut praesens eius conditio postulare videtur, omnique opera id agam, ne suscepto labori impar existimer. Utinam mihi satis otii concedatur ad haec studia exercenda, neve gravissimo oneri alia officia cum literis non arcte coniuncta addantur; quod spero, non quo laborem defugiam, sed quia metuo ne aliter vestrae de me exspectationi et muneris dignitati non satisfaciam, Sed satis et fortasse nimium de me; reliquum est, ut vobis et imprimis iis vestrum, qui nuper inter senatores primum lecti sunt, Athenaei res commendem. Quandoquidem enim haec urbs merito celebratur tanquam bonarum artium mercatus, magistratuum est illud nomen tueri et velut hereditatem a maioribus acceptam, suis curis auctam, posteris relinquere. Quod nulla re magis effici possit, quam munienda hac arce studiorum, quae maiorum liberalitate condita duo saecula stetit totique civitati praesidio et ornamento est. Ita vestris auspiciis floreat Athenaeum, literis et disciplinis suus stet honos.

In iis, quae me moverunt ut Leovardiam Amstelodamo mutarem relictisque ibi amicis et familiaribus huc migrarem, haud scio an primo loco hoc ponam, quod tot viros in hac urbe inventurum me sciebam doctrinae laude insignes, aut mecum in erudienda iuventute occupatos aut qui eo munere praeclare defuncti sunt. Alius vestrum, Viri Clarissimi, aliam disciplinam persequitur, sed in omnibus regnat cognitionis cupiditas et

unusquisque id agit, ut disciplinae suae fines proferat, Athenaei famam suis laboribus augeat, ad scientiae et virtutis studium adolescentes formet. In his laboribus comitem et socium accipitote eum, qui eam artem profitetur, quae reliquarum paene omnium auxilio non potest carere, quiqne etiam atque etiam vos rogat, ne consiliis vestris se destituatis. Nam quae sint muneris quod sustinemus partes, quae officia, vos usu et experientia edocti magis compertum habetis, quam ego, qui multarum rerum non nisi adumbratam animo imaginem affero. Contra ego vobis spondeo me auctoritati vestrae libenter obtemperaturum et nihil antiquius habiturum esse, quam ut eum me praestem literarum doctorem, qualem vobis collegam optatis facilem atque humanum. Tales fuisse accepimus, qui proxime ante me hoc munere functi sunt, viros cum eruditionis copia, tum morum elegantia insignes, qui plures per annos hunc locum ita tenuerunt, ut adolescentes literarum studiosos ad veram humanitatem formarent et mirificum honestae laudis amorem eorum animis instillarent. Quorum quia alterum (Dav. Iac. van Lennep) praesentem conspicere mihi licet, utar hac opportunitate, ut quantum ei tribuam aperte declarem.

Tu, venerande senex, qui in otio bonas literas colere pergis et Hesiodum, quem semper in deliciis habuisti, doctrinae tuae copiis ornas, consiliis tuis me iuva mihique concede, ut prudentia tua doctisque sermonibus doctior fiam. Multa a te discere aveo, sed hoc maxime, qua arte tot iuvenes, qui te duce usi sunt, ad antiquitatis amorem excitare, ad omnem virtutem informare potueris. Beatum te praedicamus, cui contingit in ista senectute laborum tuorum fructus adspicere, auctoritatem apud cives tuos imminutam servare, rei publicae et literis inservire. Si quid mea vota possunt, nunquam tristi usu cognosces, quam praeclara praesidia contra adversam fortunam veterum scripta suppeditent, et qui te conspicient veram esse intelligent Graeci poetae sententiam negantis senescere sapientes, in quibus eluceat mens longa die aucta [1]).

Quam vellem hic quoque adesset collega tuus Vir Clarissimus Iohannes Bosscha. De quo quum cogito, tristis animum meum subit infirmitatis humanae cogitatio, quum eum nondum senectutis incommoda exspectantem adversa valetudo coegerit munus, quod duodecim annos praeclare gessit, iam nunc deponere. Libenter illum retinebant omnes, qui eius mores

diligebant, prudentiam et eloquentiam admirabantur, scholas frequentabant; sed iustae petitioni resisti non potuit. Itaque amplissimi magistratus honestam missionem roganti dederunt, sed honoris causa illum rogarunt, ut, quantum posset, iuventuti bonas litteras colenti consuleret et eam disciplinam, quam prae ceteris diligit et egregiis libris promovit, scholis suis explicare pergeret. Huic rogationi si quid mea voce ponderis addi posset, publice ab eo petivissem, ut hoc onus historiae docendae, quod mihi novum esset, reciperet, itaque suae et in hos Athenaei alumnos et in me voluntatis insigne exhiberet documentum. Sic paulo minus detrimenti ex eius discessu Athenaeum capiet, atque evelletur ille scrupulus, qui me non leviter pungit, quum melius me grammatici quam historici partes implere posse sentiam. Sed cur plura dicam, quasi de eius voluntate dubitem? Quod petimus faciet, dummodo Deus O. M. vires ei largiatur. Quod ut prospere eveniat omnes boni et ipsius et literarum causa orant et precantur.

Ad vos mea properat oratio, praestantissimi adolescentes; in quibus nititur parentum spes, quorum opera aliquando res publica indigebit. Hanc spem nolite fallere, sed gnaviter et assidue ingenuis artibus incumbite, ut parentum curis dignissimi patriae salutem vestra virtute augeatis. Ita optime pietatem vestram declarabitis, neque praeteritos annos inanibus votis revocare debebitis. Sed non est huius loci aut temporis vobis vitae bene agendae praecepta proponere. Potius, quoniam nunc primum vos alloquor, verbo declarabo, qualem ii vestrum, qui antiquis literis operam dant, me vel ducem vel comitem in eo stadio sint inventuri. In scholis audietis me optimos utriusque sermonis scriptores ita explicantem, ut discatis attendere ad singulorum verborum vim et usum pro temporibus saepe diversum, et quid proprium sit eius scriptoris, in quo versabimnr, aperientem. Grammaticae interpretationi accedet critica, quae vitia librariorum editorumque incuria vel fraude veterum scriptis illata detegere et certam emendandi viam monstrare debet. Haec nemo vestrum tanquam levia suoque studio indigna fastidiat. Nam, credite mihi, omnis opera quae in illis scriptis tractandis ponitur, vana est et inutilis, nisi constat quid scripserint, quove modo mentem suam declaraverint. Atque, ut praeclare monet Quintilianus [2]), interiora sacri huius adeuntibus apparebit multa

rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. Hac ratione si aliquam particulam Iliados et Aeneidos, unam orationem Demosthenis et Ciceronis, unum librum Herodoti et Livii legeritis, multo plus profeceritis ad reliqua horum principum aliorumque scripta intelligenda quam si neglectis, quas multi nugas putant, ad nova semper festinatis, priusquam ea quae legistis plana vobis sunt et perspicua. Hac denique via pervenitur ad veram antiquitatis admirationem, qua multi ex commentariis, quos vocant aestheticos, minore labore imbui se posse falso existimant. Hoc tamen cavebimus, ne toti in verbis occupati res ipsas parum curare videamur, sed pro re nata mores et instituta antiquorum explicabimus itaque ieiunitati disputationis grammaticae occurrere studebimus. In antiquitatibus autem Romanis enarrandis ad ipsos fontes vos ducam, quorum copia et praestantia vos invitabit ad lectionem et meditationem multorum scriptorum, quos in aliis scholis omnes attingere nequeo; recentiorumque, quorum laboribus et ingenio multae partes huius disciplinae sunt illustratae vel tentatae, inventa et opiniones potiores saltem vobiscum explorabo. Extra scholas si quis mea opera uti volet — volent autem omnes, qui aliquid maius spectant, quam eatenus has res agere, donec ad alias transire possint — si quis igitur mea opera uti volet domestica, ei non deero, sed re vel consilio eum adiuvare conabor. Neque molestum mihi erit crebro et a multis literarum causa interpellari. Nam ut vel optimi imperatoris virtutes iacent, nisi accesserit militum voluntas, sic eius, qui iuventuti erudiendae formandaeque operatur, inutiles erunt labores, nisi discipulorum fidem conciliare sibi potuerit.

Id nisi consequi cupiam, indignus sim praeceptoribus quos, ista aetate quum essem, in Athenaeo Daventriensi et in Academia Leidensi habui. Illa tempora quoties cogito, cum aliorum non obscura in me studia esse memini, tum tu in primis animo meo obversaris, Asseni Vir Clarissime! Tua enim domus semper mihi patuit, tu me cum paucis aliis commilitonibus privata institutione ad legendas orationes Tullianas et ad fragmenta veterum Iureconsultorum exploranda invitasti, tu multa semper mihi benevolentiae indicia ostendisti, vel hoc ipsum, quod affecta valetudine tamen ad me audiendum huc venisti. His ego beneficiis tuaque amicitia tum

dignum me putabo, quum, quod tu tuis discipulis esse soles diuque sis precamur, ego meis ero.

Sed iam tempus est ad alteram praesentis officii partem transire. Disciplina, quam profiteor, tota versatur in antiquitate et omnis evanescit atque tollitur, si verum est, quod multi clamant, illa studia obsoleta esse et aliquando aliis disciplinis locum cedere debere. Non magno opere metuimus, ne illae voces apud prudentes homines in hac regione, ubi classicae quae vocantur literae maximam adeptae sunt auctoritatem, tantum valeant, ut iis fidem habere et optimum humanitatis praesidium abiicere velint; sed quum blandiantur aetatis nostrae ingenio, non possunt non decipere incautos, illudque negari non potest pauciores in dies inveniri, qui antiquorum scriptorum lectione mentem acuere, ingenium formare, scientiam augere, otium suum delectare aut possint aut velint. Quare constitui antiquitatis causam hodie agere, et a vobis A. H. peto, ut bona cum venia me audiatis dicentem *de perpetua philologiae dignitate.* Explicabo igitur, quae sit philologia, quem praebeat usum, quam falsa sint crimina, quae in eam conferri soleant.

Ut linguae universae, ita singula saepe vocabula habent sua fata, nec semper in promptu est, quae fuerit variis temporibus eorum vis, accurate definire. Qui tamen veterum locos, ubi *φιλολογίας* atque *φιλολόγων* mentio fit, considerat, videbit apud optimos auctores illam esse disputationem eruditam de studiis doctrinae, hos talium disputationum studiosos. Complectebatur igitur philologia ab initio cum alia multa, tum etiam philosophiam, quanquam postea inter utramque disciplinam usus distinguere coepit, atque Plotinus philologum appellat Longinum, quem philosophum fuisse negat [3]). Post renatas autem literas hoc nomen assumpserunt, qui nulli certae disciplinae dediti in antiquis literis toti erant, qui veterum scripta edere, emendare, explicare et vel docendo vel scribendo suam ipsi scientiam augere et antiquitatis cognitionem aliis patefacere studebant. Tales etiam nunc in multis regionibus philologi vulgo appellantur. Fuerunt, qui huic appellationi non satis definitae aliam substituere conarentur, atque nostrates hanc artem saepe *literas humaniores aut studia humanitatis* vocant, Fred. Aug. Wolfius, qui huius disciplinae fines constituit et quo spectaret germana philologia docere aggressus est, *antiquitatis disciplinam* dici volebat; sed tamen antiquius nomen retineri satius ducimus.

Inquirentibus in originem huius disciplinae redeundum est ad illa tempora, quum Graecorum ingenio inventae et excultae artes et literae Macedonum armis per multas Orientis regiones sunt propagatae. Non negamus Periclis tempore Athenas summa humanitatis laude floruisse, sed tamen ante Aristotelem nemo vixit, qui non in uno genere elaborare, quam plurimas diversasque res ingenio complecti scriptisque explicare maluerit. Superiores illi immortalibus scriptis nomen suum aequalibus posterisque commendabant; aliena diiudicandi, illustrandi, enarrandi erat iis nulla voluntas. Amissa vero Graeciae libertate, inventio exarescere, ars grammatica, critica, hermeneutica efflorescere coepit. Tum demum doctum studium sermonis, mythorum, historiae, antiquitatum, omnium denique partium, quibus constat philologia, Alexandreae ortum est, ubi sub Ptolemaeis homines docti eorum, qui antea fuerant, scripta multo studio undique colligere, novis exemplis frequentare, in certas classes redigere, optimum quemque emendare suisque laboribus et vigiliis illustrare coeperunt. In his censendi sunt Callimachus, Eratosthenes, qui primus philologi nomen sibi vindicavit [4]), quum ante hunc grammatici appellarentur, Aristophanes Byzantius, Aristarchus, alii. Eodem tempore haec studia vigebant apud Pergamenos, unde per Cratetem Romam delata sunt, ubi M. Terentio Varroni, P. Nigidio Figulo paucisque aliis in deliciis fuerunt. Eos, qui sub Caesaribus horum vestigia secuti sunt, memorare nihil attinet praeter Marcianum Capellam, qui saeculo quinto doctum opus condidit *de nuptiis philologiae et Mercurii*, quod medio aevo in scholis legi et explicari solebat. Quum autem Europae regiones densa caligine obsitae omnem fere humanitatem amiserant, pleraque antiquorum scripta neglecta diu iacuerunt, donec tandem e situ et pulvere eruta multum contulerunt ad tenebras dispellendas novumque rerum ordinem provocandum. Felicem hanc mutationem inchoavit Franciscus Petrarcha, quem puerum etiam *verborum dulcedo quaedam et sonoritas* in Cicerone et Vergilio *detinebat* [5]). Is vir factus nullis sumptibus aut laboribus pepercit, ut manuscriptos Latinos colligeret quam plurimos, et quum Graeci sermonis tantum non rudis esset amico, qui sibi Homeri carmina misisset, scripsit se nullum donum gratius accipere potuisse. *Homerus quidem*, sic ille, *apud me mutus, imo vero ego apud illum surdus sum. Gaudeo tamen et amplexu solo. Graecos spec-*

tare, etsi nil aliud, certe iuvat [6]). Similem ardorem multi tum Itali ad haec studia attulerunt et incredibile dictu est, quanta mox in illa regione principum favore et doctorum laboribus incrementa ceperint. Neque intra Italiae fines steterunt, sed Galliam, Britanniam nostramque patriam saeculo XV et XVI similis antiquitatis amor pervasit. Sponte vestris mentibus occurrunt celebrata Rudolphi Agricolae, Wesselii Gansfortii, Desiderii Erasmi nomina, quibus mox successerunt Gul. Budaeus, quem literarum Graecarum inter Gallos instauratorem appellare non dubitamus, Is. Casaubonus, in quo nescias quid magis admireris, incredibilem eruditionis copiam an fortitudinem, qua utitur in admonendo rege suo, ne salubria historiae praecepta contemnat, Jos. Scaliger, qui omnes multiplici doctrina superat et cuius scripta omnium saeculorum admirationem movebunt, Ger. Io. Vossius, huius quondam Athenaei decus, quem a Vondelio ob immensam scientiam vix nimio praeconio ornatum esse plurima, quae scripta reliquit, testantur, Hugo Grotius denique, quem virum in theologia, iuris scientia, civili prudentia excellentem antiquas literas in otio et inter vitae negotia egregie excoluisse inter omnes constat. Sed quid ego plures nominem, qui illis temporibus philologiae laude floruerunt, quum usque ad saeculum XVII fere medium nemo in ulla disciplina magnus fuerit, qui non hinc esset profectus? Ab eo inde tempore philologorum auctoritas decrevit suisque finibus philologia circumscripta est, quo ipso tamen disciplinae dignitas aucta potius videtur quam imminuta. Quotusquisque paulo humanior est, qui ignoret quid superiore saeculo in Britannia Bentleius, Marklandus, Toupius, in nostra patria Hemsterhusius, Valckenaerius, Ruhnkenius, inter Germanos Gesnerus, Heynius, deinde Wolfius praestiterint, ne eos memorem, qui horum principum laudes aliquo intervallo persecuti sunt et orationis virtutem ingeniique praestantiam, qua veterum monumenta censentur, docte illustrarunt. Atque ex his alii in aliis disciplinae nostrae partibus bene versati sunt maximeque diversa sunt doctorum hominum iudicia de eo, quod summum sit, quod philologum spectare oporteat. Non tantum mihi arrogo, ut quaestionem saepe a multis agitatam solvere me posse putem, sed tamen affirmare non dubito primarium philologi munus esse diligentem veterum scriptorum interpretationem. Hanc ille ita instituat, ut non meram otii sui delecta-

tionem quaerat, neque ut eruditionis laudem inde captet, si sibi contigerit ingeniosis coniecturis veram antiqui scriptoris manum reducere. Nam nisi pulchram orationis formam contemplantes elegentiam augemus, nisi optimum quemque legendo ad veritatem et honestatem ducimur, nisi graviores ipsi et meliores evadimus, hoc studium non tanti est, ut aetatem ei impendamus, neque vehementer promovebit illam, quam pollicetur, humanitatem.

Diligentem autem interpretationem veterum scriptorum esse multi laboris facile obtinebo. Requiritur enim primum accurata cognitio illius scientiae, quae sermonis Graeci et Latini ingenium docet, cuius unius ope „ad illarum gentium, quae aliis saeculis vixerunt, memoriam descendere in eamque penetrare concessum est, cuius qui potestatem non accurate perceperit, tanquam peregrinus multa perperam intelliget, alia plane non animadvertet" [7]). Grammaticae comes est adiungenda critice, quae quando exercetur ab eo, qui cum ingenii quadam felicitate magnam prudentiam multumque usum coniungit, omnium artium fere princeps dici meretur. His fundamentis superstruitur illa interpretatio, sed minime potest absolvi et perfici, nisi accedit antiquitatis cognitio ex ipsis fontibus hausta et recentiorum lectione confirmata. Afferat igitur philologus oportet cognitionem historicam veteris aevi, qua res civiles et literarias, omniaque, quae ad vitam cum publicam tum privatam pertinent, ubi opus fuerit, illustrare possit.

Campum videtis immensi ambitus, quem nemo unus decurrere potest, et in quo colendo post tot saeculorum labores et nostrae et posterorum industriae, etiamsi nova praesidia inveniuntur nulla, permulta agenda supersunt.

Age nunc A. H. consideremus ea, in quibus philologi industria versatur, ut quaenam utilitas ex iis studiis laboribusque sperari possit appareat.

Si sermo illud est, quo uno vel maxime praestamus feris, si est simulacrum mentis animique, cuius vi et comprehenduntur rerum notae et retinentur et discernuntur et consociantur et sine quo per totam vitam titubaremus, quis neget imprimis utile esse studium, quod ponitur in iis linguis, quae a sollertibus populis formatae ac perfectae et a summis ingeniis excultae sunt ac perpolitae? Nemo sanus ingenii monumenta, quae recentiores sua quisque lingua exegerunt, fastidit et odit, neque ex hac literarum luce redire cupit in ea tempora, quum ex tenebris medii aevi Europa emergens novae quasi vitae subsidia quereret e revocato studio Latinarum mox etiam

Graecarum literarum, quum viri docti timide ederent, quae vernacule scripsissent, solamque sibi nominis famam ex iis, quae Latine componerent, augurarentur; sed quanquam nihil recentiorum laudibus detrahimus, contendimus tamen nullius sermonis recentioris studio antiquarum linguarum desiderium resarciri posse. Cuiusvis linguae studium mirifice facit ad omnes ingenii vires excitandas memoriam locupletando, iudicium acuendo, elegantiam promovendo, nullius aeque atque antiquarum. Atque ut nemo patrii sermonis ingenium probe perspicit, nisi illum cum aliis idiomatis eiusdem stirpis comparare potest, sic perpetuo errant misereque vacillant, qui idiomata gentium Romanicarum et Germanicarum sine accurata cognitione sermonis Graeci et Latini explicare conantur. Non curamus igitur ineptos homines, qui tempus, quod nos in linguis mortuis terendum putamus, aliquanto melius dari censeant earum linguarum studio, quae in ore hominum sint multoque facilius percipiantur. Non vident, dum odioso isto *mortuarum* nomine praestantiam huius studii convellere cupiunt, se invitos magno opere illud commendare. Nam, ut alienis verbis utar, his ipsa mors immortalitatem parit; facit enim, ut communi lege solutae formam quam habent constanter servent nec amplius mutationem subeant [8]). Latinus sermo in ore hominum esse desiit et magis magisque invalescit consuetudo, ut viri docti de rebus etiam ad antiquitatem pertinentibus scribentes sua quisque lingua utantur; — quod bene an secus fiat, nunc non disputo — sed etiamsi usus Latini sermonis ex Academicis scholis vel more vel lege tolleretur, tamen eius studium retinendum censerem negaremque esse hominis liberaliter educati et qui aliquando ad gravissima munera accedet, omnia ad praesentem utilitatem exigere. Ars grammatica enim habet hoc commune cum geometria, ut non modo cum percepta sit, sed etiam cum percipiatur prosit, quod non intelligunt quibus primarium videtur eo consilio in Gymnasiis linguas recentiores doceri, ut adolescentes nostri Gallice, Germanice, Anglice loqui discant. Quare quum multi recentiorum linguarum commendationem petant e maiori earum facilitate, hoc ipsum nos movet, ut, quando de institutione melioris civium partis agitur, antiquis palmam deferamus. Laudamus

qui pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima;

sed non nimis diu in hoc instituto manendum esse censemus, nisi hominum levitatem et ignaviam alere velimus. Mature ingenia a rebus ludicris ad serias traducantur, labores perferre discant, denique assuescant non multa potius quam multum legere. Atque hic est maioris illius difficultatis fructus eximius, quique ob eam causam antiquas linguas fastidit, nae ille aut hebeti sit ingenio oportet aut pusilli animi. Tantum porro abest, ut Graeci Latinique sermonis studium nobis recentiores linguas praecludat, ut nemo minore labore et meliore successu ad has addiscendas pervenire possit, quam qui in illis tirocinium posuerit. Quod vere affirmari omnes sciunt, qui prius grammaticae Graecae Latinaeque operam dederunt, quam linguam aliquam recentiorem attigerunt.

Si tanta est grammatices utilitas, non minoris dignitatis esse criticen facile concedent, qui reputant antiquorum scripta ante inventam typographiam uno saepe vel paucis codicibus manuscriptis esse servata, quorum nullus est, quin librariorum socordia mendis sit inquinatus. Non rarae sunt ipsorum antiquorum querelae de libris vitiose descriptis; quid factum putabimus postea, quum nova exempla fierent e libro aliquo male scripto vel humore corrupto vel tineis blattisque corroso aliove modo lacerato? quum homines indocti et male seduli lacunas ipsi supplere multaque non ad veteris scripturae fidem restituere, sed ex ingenio refingere studerent? Quantum autem damni his literis illatum est, quum primi editores infelici saepe casu in exemplum minus bonum incidentes illud typis describerent et tales deinde editiones repeterentur ant sine certo iudicio ex aliis codicibus non melioribus passim corrigerentur? Egregie igitur de literis sunt meriti, qui antiquorum scripta ad optimos libros veteres emendare, aut, ubi nulla inde salus exspectari poterat, caute et prudenter coniecturis suis sanare coeperunt; melius etiam qui huius artis partem, quam vocant altiorem, ita exercuerunt, ut fraudes interpolandi vel fingendi indicarent, doctisque disputationibus curarent, ne lectores nomine et specie decepti quidvis, quod antiquitatem prae se ferret, genuinum censerent itaque nubem, ut aiunt, pro Iunone amplecterentur. Multorum levitate factum est, ut critice apud multos male audiret; sed in hoc quoque genere *prudentiam quodammodo esse divinationem* docent ea, quae a viris doctis ingeniose correcta postea melioribus libris inventis confirmata sunt, aut etiam sine

argumentis externis nulli dubitationi locum relinquunt. Quare ut graviter reprehendendi sunt, qui sine accurata cognitione sermonis et usus in qnemcunque scriptorem involant et locos a se parum intellectos aut opinionibus et commentis suis obstantes inutilibus coniecturis tentant, quos nulla religio coercet quominus ea, quae ne sibi quidem vera videantur aliis tanquam vera et certa obtrudant, ita magno opere admiramur eorum labores, quibus critice fuerit multi diuturnique usus ultima soboles. Tales fuerunt Scaligeri, Bentleii, Valckenaerii, paucique alii, quorum vestigia premunt praestantis ingenii et doctrinae philologi, qui quo magis antiquorum libros versant et summam cum iis familiaritatem contrahunt, eo melius intelligunt paene nullum integrum ad nos pervenisse neque in tanta editionum copia esse metuendum, ne nihil in hac parte agendum supersit.

Historiae autem et antiquitatis cognitionem si philologo necessariam esse demonstrare eiusve utilitatem laudare vellem, verendum esset, ne vestra patientia intemperanter abuti existimarer atque adeo ne ineptus viderer. Nam ut nemo antiquas res bene intelligere et explicare potest, nisi qui documenta illius aevi consulere atque ex ipsis fontibus sua haurire didicit, ita nemo insignem fructum ad vitae usus ex lectione veterum scriptorum percipiet, nisi ad eam accedet probabili antiquitatis cognitione instructus, quam purgabit, augebit, confirmabit diligenti multorum meditatione et comparatione. Non enim debet is, qui germanus philologus et esse et haberi velit, in verbis solis haerere, res negligere, sed operis antiqui et formam et argumentum spectare itaque ad humanitatem et ad prudentiam in dies magis formari suisque laboribus alios quoque humaniores prudentioresque efficere.

Iure igitur statuere mihi videor studium grammatices, critices et antiquitatis quum per se utilissimum esse, tum plane necessarium ad intelligendos scriptores Graecos et Romanos, neque admodum vereor, ne quis mihi tanquam compendariam viam interpretationes obiiciat, quae in variis recentiorum linguis, quas vulgo nostrates discunt, prodierunt. Quis enim est, qui reprehendat artifices, qui artis suae causa multas regiones obeant et in Italiam proficiscantur, ut Apollinem illum suis ipsi oculis adspiciant, cuius tot exempla marmorea vel ex argilla ficta circumferuntur, aut ut praeclara pictorum opera admirentur in iisque contemplandis totos dies

haereant, quas multi acu vel penicillo exprimere tentarunt; nobis autem non concedat, mentem scriptoris e suo opere non ex interpretatione esse cognoscendam? Interpretationum aliquem esse usum concedimus in iis duntaxat scriptoribus, quos non operis forma commendat, sed quos eo consilio legimus, ut res ab iis explicatas cognoscamus, quod usu venit in iis, qui vixerunt, quum Graeci sermonis flos exaruerat et Latina lingua in barbariem verti coepta est. De reliquis, quam exiguus sit interpretationum numerus, quae veram scriptoris imaginem referant, norunt omnes, qui de his rebus iudicare possunt, neque, ut exempla afferam, Larcherius nativam illam Herodoti simplicitatem servavit aut Wielandus fidum ubique Ciceronis interpretem egit. Atque vel optimam interpretationem longe abesse a forma et ingenio, quae iis, qui ipsum opus intelligunt, placent, hinc apparet, quod quum permulti sint qui ipsa veterum scripta nova semper cum voluptate relegant, vix quisquam invenitur, qui longius carmen aut orationem vernacule expressam ab initio ad finem sine taedio se legisse affirmet. Quare non miramur Stolbergium Homericae Musae interpretem, quum ad eum locum pervenisset, ubi Hectoris ab uxore et filiolo discessus tam venuste narratur, suae sibi imbecillitatis conscium in margine lectores admonuisse, ut Graece discerent suamque interpretationem flammis traderent.

At quid refert legere eos scriptores, qui remota tempora et alienos mores depingunt, qui immoderatam alunt libertatis cupiditatem, qui mores lascivia corrumpunt, postremo qui falsum Deorum cultum secuti fidem Christianam non convellere non possunt?

Gravissima sunt haec crimina atque eiusmodi, ut honestis hominibus merito scrupulum iniiciant. Nam, si vera sunt quae arguuntur, nihil agunt, qui antiquitatis studia propterea laudant, quod omnium fere disciplinarum fontes inde scaturiant, neque satis proficiunt, qui antiquas literas summi momenti esse ad mentem excolendam contendant. Quid enim sperandum vel quid potius non metuendum ab hominibus doctis illis quidem, sed otiosis, sed malis civibus, sed depravatis, sed perversae sapientiae defensoribus? Quare nisi hos terrores removere atque hos scrupulos animis hominum evellere potuerimus, non recusabimus, quin causa cecidisse iudicemur.

Primum crimen est, quod scriptores Graeci et Romani remota tempora et alienos mores depingentes nulli nobis aut exiguo usui sunt. Longo tempore ante nos vixerunt; sed quis serio contendat ea quae antiqua sunt, esse antiquata et obsoleta, aut in scriptoribus aestimandis eam temporis rationem esse habendam, ut cuiusque virtutes hac trutina pensandae sint? Nonne satis magnum intervallum illam aetatem a recentioris aevi initio separabat, cuius tamen humanitas ex illo potissimum fonte fluxit? nonne Europae gentes, si medio aevo non plane tenebris obrutae sunt, hoc magnam partem debuerunt his literis, quae nunquam penitus interierunt? nonne saeculo XIV et XV viri docti tantam his studiis conciliarunt auctoritatem, ut sine iis ad nullam in aliqua arte vel disciplina praestantiam perveniri potuerit? Si quis autem putat eam esse humanitatis conditionem, ut hoc auxilio facile nunc careamus, cupidius eam laudare videtur atque imminentis barbariae metum longius, quam licet et tempora sinunt, reiicere. Absit a me, ut terrores denunciem gravissimamque rerum omnium conversionem praesagiam; sed tamen, quum nuper in Germania essem, eam cognovi animorum concitationem, ut quorsum ea eruptura essent, timeremus. Utinam nunquam talia tempora redeant, ut ex antiquitatis studio novam lucem posteri petere debeant, sed, quamdiu omnis haec sollicitudo non erit sublata, prudentis esse opinor ea studia retinere, quae nunquam impune neglecta esse historia docet. Et dicemus mores illarum gentium a nostris esse alienos? non est ita, non est. Humanitas Romanorum magnam partem pendet a Graeca, nostrae magna pars a Romana. Ubique sunt Romanorum vestigia in legibus, in institutis publicis, in literis et innumera, quae recentia habentur, in vita privata etiam ex antiquitate repetita sunt. Nemo dicet Britannos se suaque parum admirari aut alienis moribus nimium delectari, et tamen constat apud illam gentem moris esse, ut nobilissimus quisque antiquis literis plurimam operam det, atque in iis, qui tanti imperii clavum tenerent, plures semper fuisse, qui veterum scripta in sucum et sanguinem convertissent. Quid autem? estne metuendum, ne homines his literis delectati patrium sermonem deserant et Latine scribere quam vernacule melius queant? At scimus omnes fere qui literas patrias vel apud nostrates vel apud exteros promoverunt, ex hoc fonte hausisse et ad nominis famam pervenisse. Cogitate Lessingium, qui in

memoriam illius temporis redire amabat, quum in schola Afrana Theophrastum, Plautum et Terentium quotidie legeret [9]; Wielandum, qui rogatus a quo tantam orationis Germanicae facultatem et copiam accepisset, non cunctanter M. Tullium nominavit [10]; cogitate Hooftium, qui orationem suam ad Taciti stilum conformavit, Vondelium Latinorum poetarum felicem interpretem, iisque adiungite Bilderdykium et Palmium, qui sine praesidio veterum literarum nunquam profecto ad principatum in patriis literis pervenissent.

Satis mihi videor hoc crimen diluisse; ad reliqua pergam. Nam si antiqui scriptores immoderatam alunt libertatis cupiditatem haud scio an prudentis sit prohibere, ne incauti adolescentium animi ista labe inficiantur. Atque est haec accusatio speciosa, quoniam longe plurimi scriptores Graeci in libera civitate vixerunt, Romanis autem regium nomen perquam odiosum fuisse constat. Sed quis tandem iis libertatis amorem et tyrannidis odium exprobret, nisi forte medium aevum humano generi felicissimum fuisse idem contendit? Amant et laudant libertatem, sed legibus fundatam, non plebis furoribus agitatam; oderunt tyrannos, qui iniusta dominatione cives suos opprimunt, sed iis, ad quos imperium legitime pervenit quique illud non inique exercent, sive unus est sive plures sive totus populus, ius suum relinquunt integrum et quanquam civitatis suae vitia non dissimulant, nunquam tamen ad res novas excitant. Quae laus non paucis debetur, sed ad omnes pertinet, neque credo inter antiquos scriptores ullum inveniri tam otii publici inimicum, quales recentior aetas plures protulit. Neque valde timendum videtur, ut democratia Attica, qualem ex historiis Thucydidis, ex orationibus Demosthenis et Lysiae aut e fabulis Aristophanis cognoscimus, eximium sui amorem et desiderium apud lectores excitet aut ut ii, qui apud Livium perpetuas contentiones inter patres et plebem agitatas legent, similem sibi suisque civibus rei publicae formam optent. Ecquis autem ingenuis parentibus ortus aegre ferat Tacitum et Iuvenalem malorum Caesarum memoriae turpitudinis notam inurere aut potius quam hos verae libertatis praecones viles potentiae adulatores in adolescentium manibus esse malit? Sed quid exempla affero, quum res alio modo melius probari possit? Nam ingenium populi optime cognoscitur e literarum monumentis, imprimis si scripta sunt a viris in ipsa re publica gerenda

occupatis. Atqui quum ea esset Graecorum et Romanorum propria virtus, ut universi cives omnia ad salutem publicam referrent paucique omnino essent, qui non ad scribendum magnum rerum usum afferrent, fieri aliter non potuit quin verum sanctumque patriae amorem commendarent et libertatis civilis studium cum legum observantia coniunctum. Itaque tantum abest, ut ex multa et accurata antiquitatis meditatione aliquid damni res publica sit captura, ut nihil magis valeat ad eluendam nostri saeculi labem, qua multi infecti ea maxime sectantur, quae suae potius utilitati quam publicae inserviant. Fuerunt aliquando homines nulla aut levissima antiquitatis cognitione tincti, qui libertatis intemperantiam atque adeo suam licentiam et furorem antiquitatis exemplo defenderent, et quum Hyperbolos et Catilinas imitarentur Thrasybuli et Bruti haberi vellent; sed tam foeda mendacia non magis evertunt philologiae dignitatem, quam scelera specie religionis commissa eius sanctitati nocent.

Accedimus ad tertium caput accusationis, quo legendis antiquis scriptoribus bonos mores corrumpi contendunt. Esse inter eos, quos multa lascive et libidinose chartis mandare non puduerit, non negamus, sed iidem contendimus horum numerum, si cum melioribus comparetur, esse exiguum. Quid statuendum fuisset, si omnia Graecorum et Romanorum scripta aetatem tulissent, non definio; hoc autem scio ex universa antiquitate multo pauciores superesse, qui in hanc partem peccent, quam apud ullam e recentioribus Europae gentibus; scio etiam Athenis nunquam impia caedium, paricidiorum, incestuum spectacula in scenam prolata fuisse, quibus hodierni artifices non abstinent, tantumque fuisse apud Romanos ambigui dicti pudorem, ut literas obscenius concurrentes religiose et anxie vitarent, quum contra res turpiculas suo nomine appellare non dubitarent. Etsi igitur historia literaria docet nonnullos homines literis Graecis et Latinis doctos animi pravitate fuisse insignes et corruptis moribus, eorum tamen exempla non faciunt, ut errores et vitia ex hoc fonte fluxisse concedamus, neque aliud probant nisi ingenia mala pravaque solo literarum studio emendari et corrigi non posse, sed ad vitam regendam meliori opus esse subsidio et divinae religionis praeceptis. Hoc unum non negaverim voluntatem atque indolem fingi studiis, eumque qui potissimum deterioribus scriptis delectetur et lascivos poetas sectetur, inde ducere aliquid, quod animum

28*

corrumpat et depravet. Nam ut colloquia prava, sic assiduum commercium cum impuris libris mores perdit et pessumdat. Quare in institutione curandum, ne adolescentuli venusta magis quam honesta scripta legant; postea annis et recto cultu confirmati sine periculo reliqua legere poterunt. Maximam autem esse honestorum scriptorum copiam omnes sciunt, licetque ad plurimos referre, quae Erasmus pro suo consilio de uno Tullio affirmat. Is enim in celeberrima epistola, quam editioni Tusculanarum disputationum adiecit, haec scribit: „Huius dispendii adeo me non poenituit ut in votis sit, si liceat, ad veteres illos amicos remigrare ac menses aliquot cum illis familiariter vivere. Tantum fructus me sensi percepisse ex his libris relectis non tantum ad stili rubiginem abstergendam, quamquam hoc quoque non nihil est meo quidem iudicio, verum multo magis ad animi cupiditates moderandas refrenandasque?" Et postquam magnifice laudavit Ciceronem, ita hunc locum concludit: „Profecto meum afflavit animum meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem hortari iuventutem, ut in huius libris evolvendis atque etiam ediscendis bonas horas collocet potius, quam in rixosis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique scatent omnia. Me vero tametsi iam urgente aetate nec pudebit nec pigebit cum meo Cicerone redire in gratiam pristinamque familiaritatem, nimium multis annis intermissam, renovare" [11]).

Quae verba citavi, quoniam in hac quaestione, quae ratione absolvi non potest, Erasmi auctoritas et sententia iis, quae nos defendimus, plurimum momenti addit.

Una superest criminatio eaque gravissima. Nam si antiquae literae fidem Christianam labefactant aut oportet eas abiicere aut certe tum demum ad eas accedere, quum mens adversus tales illecebras magis confirmata atque a doctrina instructa est. Est autem haec querela non nova et nuper orta, sed inter primos ecclesiae doctores et postea nunquam defuerunt, qui ita iudicarent, ut Gregorius Magnus, qui quamvis a puero disciplinis liberalibus egregie institutus fuisset, tamen in uno ore cum Iovis laudibus Christi laudes capere se posse negaret [12]), multique alii, quorum auctoritate et consiliis in nonnullis regionibus incautos principes circumventos fuisse novimus. Ita ante paucos annos e pulvere tabularii extractum est decretum saeculi XVI exeuntis, quo Bavariae dux praeceptores, quibus

institutionem filiorum suorum commiserat, iubet pro Livio Iovium et Natalem, pro Salustio Sadoletum et Bembum, pro Cicerone Orosium, pro aevi Augusti poetis Prudentium, Vietam, Sannazarium iis praelegere, ne scilicet adolescentulorum ingenia ineptiis loquacium paganorum implerentur [13]). Num illi principes ad eam normam instituti sint memoratum non inveni; sed si fuerunt, summam ingenii bonitatem vix obstare potuisse crediderim, quominus tam stulta disciplina fructus ferret tristissimos. Verum illis temporibus concedatur talis superstitio; hodie autem inveniri homines, qui si possent lumen literarum exstinguere vellent, hoc vero non est ferendum. Quid ergo hi timent? ne forte veterum mythis ita capiamur, ut Iovem cum agmine Deorum Dearumque in Olympo regnare putemus? Fuerit ille metus primis saeculis non vanus, quum Christianorum sacra inter aras delubraque falsorum numinum versarentur et lux veritatis undique tenebris offunderetur, nunc profecto inanis et stolidus est. Immo plurima reperiuntur in veterum scriptis, quae cum nostra fide amice conspirant, et ut Graecorum philosophorum placita cultum Deorum popularem labefactarunt, ita viam straverunt purioris cultus defensoribus. Infinitum est omnia recensere; sed quis ignorat locos de summi numinis sapientia et iustitia, de origine hominis divina, de immortalitate animorum, de diversa sorte manium apud inferos a multis fuisse egregie tractatos, et de virtutibus vitiisque, de perturbationibus animi, de officiis antiquos graviter et copiose explicuisse? Quamobrem dicamus potius cum Augustino *illa non esse formidanda, sed ab antiquis possessoribus in usum nostrum vindicanda*, et credamus Basilio Magno, qui veritus ne ex timida multorum pietate ecclesia detrimenti quid caperet, librum scripsit ad adolescentes de utilitate e Graecis scriptoribus capienda. Nonne illi ipsi, qui fidem Christianam fortissime propugnarunt, ex antiquitatis officina arma saepe sua petiverunt et antiquorum scripta in sucum et sanguinem converterant? Vestrae hic iterum imagines mihi occurrunt, Erasme et Groti, te cogito, Philippe Melanchton, quem Germania doctorem suum salutat, tuque mihi ob oculos versaris, Gellerte, qui vita et scriptis probavisti summam pietatem et veram religionem cum egregia antiquitatis cognitione posse copulari. Itaque desinant homines male seduli religioni insultare, quasi tam infirma sit, ut philosophiae et literarum lucem reformidet, neve imitentur impera-

torem Iulianum, infestissimum Christianorum hostem, qui humanitatem iis erepturus edicto vetuit, ne antiqui scriptores in eorum scholis legerentur. Denique audiant egregii theologi nuper defuncti vocem, qui censebat his studiis obsoletis ac neglectis nihil posse ingruentem barbariem a theologia, antiquam noctem ab emendata ecclesia avertere [14]).

Ad finem disputationis perveni, quae nullam habet ab argumenti novitate commendationem. Ergo si a vobis solis audita esset, qui quantum hae literae prosint ad omnes vitae usus et ad veritatem, elegantiam, honestatem promovendam ipsi experti estis, viri doctissimi, uterer clausula Demosthenica: Non est quod plura dicam; nihil enim eorum, quae a me dicta sunt, vos ignorare opinor [15]). Sed professoris munus auspicatus maximam vestri rationem in argumento eligendo et explicando habendam putavi, praestantissimi adolescentes, illudque imprimis spectavi, ut studium philologiae vobis commendarem. Nostri proavi in antiquarum literarum studio regnarunt; nostrum est hanc laudem vindicare et cavere, ne id quod a patribus nobis traditum est aut pereat aut nostrae socordiae culpa ad alios transeat.

DIXI.

ADNOTATIONES.

[1]) Respicitur ad fragmentum Sophoclis apud Stobaeum, tit. 117, 4.

Οὐκ ἔστι γῆρας τῶν σοφῶν, ἐν οἷς ὁ νοῦς
θείᾳ ξύνεστιν ἡμέρᾳ τεθραμμένος.

[2]) Inst. Orat. I, 4, 6.

[3]) Cf. Ruhnkenii Opusc. I. p. 502.

[4]) Suet. de Grammat. illustr. 10.

[5]) Petrarchae Epistt. Senil. XV, 1.

[6]) Epistt. Fam. IX, 2.

[7]) Verba sunt Godofredi Hermanni in Praefat. ad Vol. I. Act. Societ. Gr. p. XVI, cui etiam in seqq. nonnihil debemus.

[8]) Moshemius in praefat. ad Noltenii Lexicon antibarbarum p. 25.

[9]) Lessingius haec scribit: Theophrast, Plautus und Terenz waren meine Welt, die ich in dem engen Bezirk einer klostermässigen Schule mit allen Bequemlichkeit studirte. Wie gerne wünschte ich mir diese Jahren zurück, die einzigen, in welchen ich glücklich gelebt habe.

[10]) Cf. Niebuhriana mea p. 190.

[11]) Vid. Erasmi epist. ad I. Vlattenum in I. C. Scaligeri epistolis editis Tolosae 1620. p. 68 seqq

[12]) Vid. Giesebrecht, de literarum studiis apud Italos primis medii aevi saeculis, Berol. 1845. p. 4. Fred. Cramer, de Graecis medii aevi studiis, Sundiae 1849. cap. oct.

[13]) Cf. Thiersch, über gelehrte Schulen I. p. 184 seqq.

[14]) Bouman, memoria I. Clarissii p. 200.

[15]) Demosth. Leptin. extr.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

29

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

A. D. 16 FEBR. 1851 A. D. 16 FEBR. 1852

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI.

J. VERBURG, Th. D.
P. BOSSCHA, Ph. Th. M. L. H. et J. U. D.
J. DUYMAER VAN TWIST, J. U. D.
M. J. COP, M. M. Ph. N. D. h. t. R. M.
G. J. A. JONCKBLOET, Ph. Th. M. L. H. D.
V. S. M. VAN DER WILLIGEN, M. M. Ph. N. D.

S. SUSAN, Ling. hod. Lector.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XVI M. SEPT., A. MDCCLI, USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCLII.

RECTORE MAGN. MARINO JOHANNE COP.

M. J. COP Chemiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, horâ XI. Botanices elementa tractabit, iisdem diebus horâ XII. Artis pharmaceutices studiosis Chemiam tradet diebus Martis, Jovis et Saturni, Botaniam autem diebus Lunae et Mercurii eâdem horâ IX. Chemiam theoreticam atque analyticam docere et ordines plantarum naturales exponere paratus est. Exercitiis chemicis quotidie praeërit. Favente anni tempestate, cum auditoribus excursiones botanicas instituet. *Publicas* lectiones habebit postea indicandas.

J. VERBURG diebus horisque commodis, initia linguae Hebraeae tradet. Porro provectioribus discipulis, ad penitiorem monumentorum Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, illustrandis varii styli speciminibus, diebus Mercurii et Veneris, horâ X. Linguae Aramaeae seu Chaldaicae ac Syriacae exercitiis occasionem dabit, diebus Martis et Jovis, eâdem horâ. Diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XI, de Antiquitate Hebraeâ aget. Si quis praeterea doctrinae Christianae morali operam dare cupiet, illi libenter dux erit tempore postea statuendo.

P. BOSSCHA Historiam Vet. Univ. ad ductum Compendii sui tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, horâ meridianâ. Antiquitates Romanas explicabit, diebus Lunae, Mercurii et Jovis, horâ XI. De scriptore Graeco et Latino explicando diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ X, consilium cum auditoribus inibit.

J. Duymaer van Twist Institutiones Justinianeas explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ IX. Historiam Juris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, horâ XII. Encyclopaediam juris docebit, diebus Lunae, Martis et Jovis, horâ XI. Gaji Institutionum Commentarios exponet, diebus Lunae et Mercurii, horâ X. Iis, qui aliarum juris doctrinae partium studio operam dare velint, dux erit, tempore postea cum auditoribus constituendo.

G. J. A. Jonckbloet Historiam patriae enarrabit diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ IX. Poeseos belgicae historiam tradere perget diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XII. Litteras mediobelgicas docebit diebus Martis et Jovis, horâ X. Elementa linguae Gothicae tractabit ad ductum compendii Cll. v. d. Gabelentz et Loebe, diebus et horis cum auditoribus constituendis. Antiquitates belgicas explicabit diebus Mercurii et Veneris, horâ X. Eloquentiae quae dicitur exterioris exercitiis et disputationibus academicis praeërit diebus dein indicandis.
Publicas habebit *lectiones* historico-litterarias die postea indicanda.

V. S. M. van der Willigen Elementa Geometriae explicabit, diebus Martis, Mercurii et Jovis, horâ matutinâ VIII. Arithmeticam universalem docebit, diebus Mercurii horâ IX, Jovis horâ IX et Veneris horâ matutinâ VIII. Physicam theoreticam atque experimentalem, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ post meridiem I. Logicam tradet diebus Martis et Veneris, horâ IX. Mathesin sublimiorem, Physicam mathematicam et Astronomiam theoreticam atque practicam tradere paratus est, diebus ac horis postea cum auditoribus constituendis.

Sallius Susan, *Litterarum hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas, Italicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de tragoedia Anglica, *Shakespeare's Hamlet, Prince of Denmark* inscripta, ad ductum auctioris editionis *Collier Payne's Edition*, nuper emendatae, disseret.

ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLII—CIƆIƆCCCLIII.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1856.

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCLII AD VIII FEBR. MDCCCLIII,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

GIDEON JANUS VERDAM.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

NICOLAUS CHRISTIANUS KIST.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. J. VERDAM.
C. G. C. REINWARDT, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE, Prof. extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. SIEGENBEEK, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. BAKE.
J. M. SCHRANT.
A. RUTGERS.
T. G. J. JUYNBOLL.
J. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY, Prof. extraord.

IN FACULTATE MEDICA.

M. J. MACQUELYN, quantum aetas et valetudo sinebant.
Obiit d. 4 Aprilis 1852.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

G. C. B. SURINGAR.

F. W. KRIEGER.

A. E. SIMON THOMAS, Prof. extraord.

H. HALBERTSMA JUST. FIL., Prof. extraord.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.

C. J. VAN ASSEN.

H. COCK.

J. DE WAL.

S. VISSERING.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, quantum aetas et valetudo sinebant.

N. C. KIST.

J. F. VAN OORDT J. G. FIL. Obiit d. 11 Decembris 1852.

J. H. SCHOLTEN.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

J. A. BOOGAARD, in Theatro anatomico Prosector.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Literarum Germanicarum.

GIDEONIS JANI VERDAM

DE IIS,

QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

INDE A DIE IX FEBR. MDCCCLII USQUE AD DIEM VIII FEBR. MDCCCLIII,

PROSPERA ET LUGENDA ACCIDERUNT,

NARRATIO,

HABITA DIE VIII M. FEBRUARII A. MDCCCLIII, QUUM MAGISTRATU ACADEMICO ABIRET.

ACCEDIT

ORATIO

DE

JUSTA PERTRACTANDI ET VERI INVESTIGANDI RATIONE SYSTEMATICA A MATHEMATICIS TEMERIUS NEGLECTA, DILIGENTISSIMO STUDIO DISCIPLINAS MATHEMATICAS PERFICIENTIBUS, EARUMQUE AMBITUM AMPLIFICANTIBUS,

QUAM, EADEM SOLENNITATE HABENDAM, CONSCRIPSERAT.

AUDITORES SPECTATISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Consideranti mihi saepenumero magna et eximia, hâc aetate, disciplinarum Mathematicarum incrementa, — ad horum rationem et indolem diligentius attendenti, — admirabilem porro progressionem, at vero etiam progrediendi et usque properandi summum studium spectanti, — etsi quamplurium Mathematicorum, ingenio praestantissimorum, magnam suspicerem industriam, qua id eos imprimis operam dare, et in hoc uno elaborare apparet, ut disciplinas, in quibus habitant, perficiant, earumque ambitum amplificent, — attamen in multis multorum pervestigationibus aliquid minus bene factum, non satis observatum, nisi potius neglectum esse visum est. Subit namque cogitatio, de magno rerum thesauro, quo quidem largiter sumus locupletati, recte prudenterque utendo; et quaestio oritur, num ipsa pervestigandi inveniendique, aut pertractandi et amplificandi ratio sit justa firmaque et stabilis, neque diversa ab illa Methodo certa, qua utendum, quaeque in vero indagando perpetuo adhibenda est? Nullane igitur vitia lateant, partesve nullae infirmae debilesque, nisi aegrae, celentur sub pulchrâ speciosissimâque, adeo quae laudanda videtur, disciplinarum mathematicarum formâ? Igitur num veram viam sequantur, recteque procedant, qui cognitionem emendare, perficere, et amplificare aut dilatare student, id est, si ad rationis normam examinent pertractent et efficiant, quid pervestigare, componere, exacuere, et, quo usque potest, absolvere sibi proposuerint? Tum vero multos, vel acutissimos quidem, progredientes videmus, pluraque pervestigantes, et nova invenientes, at veram viam haud raro relinquentes, cum ad ipsam cognoscendi rationem, quae sola dux esse et passus regere potest, attendere paene negligant.

Haec, aliaque plura, quae nunc explicare praetereo, reputanti, saepiusque, quid quidem de iis sit statuendum, inquirenti, haud temere nec inconsiderate existimare mihi videbar, si *justam veramque pertractandi et investigandi rationem systematicam, in disciplinarum mathematicarum perficiendarum et amplificandarum studio, nimis esse neglectam* judicarem. Quod si hîc pronuntiem, nisi probarem, at certe quodammodo explicarem oporteret, quae tandem sint, quibus in hanc opinionem adducar.

Quapropter, cum primum illam tenere optarem Majorum consuetudinem, qua Academiae Rector, munus suum solenniter depositurus, praemissa oratione de quodam argumento, enarret quae, anno Magistratûs sui, Academiae acciderunt, haud alienum videbatur, si, quo mihi, hâc ipsâ solennitate, esset verba faciundi materies, de illo ipso, quod modo enunciavi, judicio dicerem, meamque qualemcunque sententiam aperirem. Collegi igitur et composui, quae mecum de dicto argumento reputaveram, et Orationem conscripsi *de justâ pertractandi et veri investigandi ratione systematicâ, a Mathematicis temerius neglectâ, diligentissimo studio disciplinas mathematicas perficientibus, earumque ambitum amplificantibus.*

Verum enimvero cum etiam iis, quae Academiae imprimis lugenda acciderunt, enarrandis, dicendi materies praebeatur copiosior, continuo haesitavi, verens ne Auditorum patientiâ nimis abuterer, si conscriptam meam orationem haberem. Quam ob rem, ne hâc in re aliquantum offendere videar, neve sermo fiat justo longior, hanc mihi detis veniam, A. A. H. H.! enixe rogo, ut, quae bona quaeque tristia nobis fuerunt, cum, ex praescripto, mihi sint enarranda, ea, quae de laudato argumento annotavi, nunc non attingam, ideoque ab oratione habendâ abstineam. Quod cum ita faciendum constituerim, ne reprehensuri sitis aut improbaturi, eo magis sperare posse mihi videor, si dixero atque affirmavero, eorum me etiam, quae de fatis, — ut dicitur, — conscripsi et prelo destinavi, ne omnia quidem pronuntiaturum aut recitaturum. Nam et in hisce brevitati magis esse consulendum mihi visum est, ideoque, quae fusius exposui et explicavi, contrahenda esse, minori igitur compendio esse colligenda, breviusque enarranda, judicavi.

Accedo igitur ad illam muneris, mihi hodie praesertim mandati, partem, quâ de iis, quae, me Rectore, Academiae prospera evenerunt, tristiaque et lugenda acciderunt, mihi est commemorandum. Mihique utinam accidisset, quod, cum Magistratum capessiveram, optavi ardenterque oravi, ut nulla nisi bona et laetanda mihi forent enarranda! At bona multa etsi Deus Optimus nobis largitus est, proque his etsi ingentes gratias agendi nobis est materies, prosperis tamen tristissima mixta fuerunt.

Et jam statim acerbo afficimur dolore, si Amplissimorum Curatorum Ordinem intuemur. Vacuum namque cernimus locum, dignissime quem tenuit, splendidissime quem ornavit, Vir Nobilissimus et Excellentissimus Henricus Jacobus Baro van Doorn van Westkapelle.

Calamitate domesticâ graviter adflictus, —, fractus nisi forte animi dolore, ex iniqua re percepto, — valetudine certe perquam adversâ correptus, — etsi periculose quidem aegrotaverat, ita ut omnes de Viri praecellentissimi vitâ maxime solliciti essemus, tamen ut Suis, ut Nobis, ut Regi, ut Patriae redderetur, sperare posse nobis videbamur. Jamque mihi gratulabar, fore ut, hâc solennitate, gratiam sincerissimam possem referre, non modo ob Ordinem Vestrum, Viri Amplissimi! magnâ clade adhuc immunem, at vel etiam ob Virum honestissimum, animi constantiâ, fide et verissimo Patriae amore spectatissimum, genere, sed magis etiam ingenii praestantiâ et cultu animoque excelso, vere nobilissimum, et virtute haud minus quam muneris dignitate amplissimum, ob hunc, inquam, Virum, quem omnes maxime suspiciebant, convalescentem nobisque conservatum. At Deo Sapientissimo aliter visum! maximoque luctu et moerore sumus afflicti, Nos, qui levatos jam jam nosmet ipsos opinabamur!

Amplissimi defuncti vitam exponere ab officio meo alienum censeo. At vero etiam, si hoc negotium mihi esset mandatum, vires meas plane impares judicarem et esse ingenue confiterer. Attamen, quod in genere et paucis de Viri desideratissimi magnis meritis memorare possum, dicam.

Cum igitur ingenio eximio et acutissimo esset praeditus, haud ita multo postquam, anno 1807, huic Academiae, celeberrimos in quâ nactus erat Praeceptores, valedixerat, summâ excellens eruditionis et doctrinae laude, se exercere coepit in ejusmodi curriculo honorifico, quo ad rempublicam

capessendam perveniret. Et brevi quidem ad varia munera gravissima gerenda vocatus, maximisque deinceps rebus moderandis et administrandis praefectus aut praepositus, multa utilissime peregit praeclarissimeque fecit aut saluberrime constituit, ita ut in altissimam sedem dignitatis et honoris adscenderit, singulari prudentiâ et honestate dignissimum semper se praestans, qui ab omnibus maximi aestimaretur; quin etiam Rex Augustissimus, Regiaque Domus, ingenii ejus animique praeclaras virtutes et eximiam fidem magni facerent, tum vero etiam ejus consilia in rebus gravissimis, de quibus, Patriaene utiles forent et exoptabiles, an nocivae potius, nisi forte perniciosae, dubitabatur.

Faustum igitur ac felix Academiae nostrae cessit, tantum Virum, regio decreto 10[i] Maji, anno 1845, successorem in Illustrium Curatorum Collegio datum esse Viro Amplissimo Baroni van Lynden van Hemmen, haud ita multo ante mortuo. Et valde laetabamur de hoc Viro praecellentissimo novo Academiae Curatore dicto. Persuasissimum namque nobis non modo erat, fore ut, nobilitate suâ nominisque amplitudine, Academiae splendorem augeret, sed etiam ut nobis esset futurus Curator dignissimus et exoptatissimus, ipse qui, ingenio suo eximio, magnâ doctrinâ perpolito, rerumque multarum scientiâ exornato, disciplinarum bonarumque artium stator erat et fautor, justusque institutionis academicae aestimator. Spes itaque nobis erat certa, talem futurum, qualem, quousque bonâ valetudine fruebatur, eum cognitum judicaremus, summâ nempe quâ erat prudentiâ humanitate et voluntate, bonique tuendi et usque procurandi studio integerrimo, una cum Illustrissimis Collegis, in Academiae rebus curandis diligentissimus, sapienti consilio, officioque, si postularetur, maximâ industriâ eniti juvare et favere numquam non paratissimus, quum de Academiae commodis procurandis et augendis, de iis, quae bona erant et usu comprobata, conservandis, — temerius saltem non mutandis, — deque juribus Academiae ejusque dignitate tuendis, ageretur.

Est igitur eheu! verissimum, magnam si dicimus cladem, quam Academia, hujus praestantissimi Viri morte, accepit. Et vos etiam, Viri Amplissimi! quem amisimus praeclare de Academiâ meritum Curatorem, Vos amisistis optimum collegam, Academiae rerum moderandarum socium exoptatissimum; — estque inter Vos, qui, simul fere cum defuncto Curator

nobis datus, amici sui, per longam annorum seriem certissimi, obitu luctuoso, summum perceperit dolorem [1]).

Utinam! quod vehementer optamus, brevi habeamus, quo erigamur gaudeamusque, quod Regi Augustissimo ex votis sincerissimis cesserit, talem defuncto Curatori successorem dignissimum se elegisse, qui Academiae Leidensi splendidissimo sit ornamento, ad ejus rés curandas aptissimus et diligentissimus, Vobisque, Viri Amplissimi, gratissimus et acceptissimus.

Ex Ordine Professorum desideramus plures Viros Clarissimos, Academiae ornamenta. Horum tres rude erant donati. Unus vero e numero Professorum docentium vitâ decessit, cujus igitur obitu majorem cladem accepit Academia, non modo quod ipsa amisit celeberrimum disciplinarum cultorem, verum etiam quod discipuli diligentissimo magistro, duce maxime venerando, et impigro adjutore orbatos se sentiunt.

Et magnum sane luctum nobis attulit dies *undecimus* Decembris anni praeterlapsi, quo Vir Clarissimus maximeque Venerandus JOANNES FREDERICUS VAN OORDT, Theologiae Doctor et Professor Ordinarius, morte occubuit. Eodem die, quo scilicet, ante hos tredecim annos, *undecima* mensis Decembris anni 1839, ex hoc ipso suggestu, ornatissima veraque verba eum dicentem audiveramns, quibus munus professorium, in nostrâ Academiâ, solenniter auspicaretur.

Jamque abhinc biennium, cardialgiâ cum saepius laboravisset, morbo ingravescente, doloribus vehementioribus cruciabatur. Maximâ porro afflictus calamitate, Uxoris optimae carissimaeque obitu inopinato, et corporis dolorum vis justissimo animi dolore augebatur. Attamen hosce fortiter et aequissimo animo perferendos, adque gravissimorum officiorum momenta imprimis attendendum esse, religiose existimans, a munere digne et diligenter obeundo non cessabat, donec, anno praecedenti, post ferias aestivas, dolorum vehementiâ victus et fractus, se abstinere majori animi contentione cogebatur. Et valetudinis recuperandae spes aliqua etsi eique nobisque

---

[1]) Vid. *Annotatio* I.

affulserit, attamen fallacem esse hominum spem fragilemque vitam hîc quoque apparuit. Accidit namque, quod primum non opinabatur, ut morbi vis subito quasi se rumperet, optimumque Virum, tot tantaque mirabili patientiâ passum, sed Deo verbisque et promissis divinis confidentissimum, tolleret.

Natus erat Roterodami, anni 1794 die 23 Novembris, Patre JANO GUILLIELMO VAN OORDT, mercaturam faciente. Indolis ingeniique bonitate maxime se commendabat, omnibusque curis, quas parentes in liberis honeste et liberaliter educandis collocabant, plane satisfaciebat. Itaque, cum in ea studia incumbere ardenter optaret, quibus ad Dei cultum erudiretur, ut aliquando verba divina recte interpretari et sacro Ministerio rite fungi posset, anno 11° hujus saeculi, ex institutione viri doctissimi NODELL, — tunc temporis qui Gymnasii Roterodamensis Rector erat, magnamque literarum, imprimis latinarum, doctrinae famam habebat, — profectus, in numerum civium Academiae Rheno-trajectinae (in qua patruus, Vir clarissimus GABRIEL VAN OORDT, Theologiam docebat) receptus est. Per octo, quos in hâc Academiâ commoratus est, annos, cum Literarum humaniorum tum Theologiae studiis totum se dedit. Studiorum rectam rationem et successum Praeceptores clarissimi maxime laudabant. Sed etiam excelluisse eum, et exemplum ad imitandum fuisse, uno ore testantur omnes, qui supersunt, aequales et, quos studiorum similitudine sibi conciliavit, amici, egregii qui erant Academiae Rheno-trajectinae alumni, summâque deinde doctrinae praestantiâ conspicui, et ad munera gravissima et honorificentissima gerenda vocati. Igitur ad annum usque 1819 Theologiae studiis operam dedit [1]), eoque anno Sacri Ministerii candidatis adscriptus, antequam summis, quos in Theologiae disciplinâ petierat, honoribus ornaretur, verborum divinorum Interpretis munere, in pago *Neerlangbroek*, constitutus est. Anno demum 1821 (die 3 Aprilis), doctam a se conscriptam dissertationem, *de Religione Christianâ, ad conjunctionis et societatis studia alenda ac promovenda, cum aptissimâ tum efficacissimâ*, cum publice defendisset, omnium Praeceptorum maximâ laude et exspectatione commendatus, *Theologiae Doctor* creatus est. Neque doctrinâ tan-

---

[1]) Vid. *Annotatio* II.

tummodo et eruditione sed etiam muneris functione praestabat. Jamque hoc satis laudis ei fuisset, cum Euangelii Nuncius verus Ecclesiaeque Antistes bonus et diligens haberetur; sed quo erat praeditus eximio ingenio, quâque indole alacri, egregii et ad dicendum prompti Concionatoris famam habebat, itemque, jure ac merito, verborum divinorum Interpres existebat subtilissimus. Hisce quidem laudibus et ingenii dotibus conspicuus, non aliter potuit, quin alii, in aliis dioecesibus, sacrorum antistitem eum optarent. Igitur, intra triennii spatium, trium urbium, *Goesae* nempe *Edami* et *Alcmariae* illi cives, ex religionis Christianae reformatae, ut dicitur, principiis atque praeceptis qui Deum colebant, ad munus ecclesiasticum gerendum eum vocabant. Alcmariensium voluntati obtemperavit. At, anno nondum praeterlapso, Rheno-trajectinam stationem, sibi oblatam, accepit. Et quam caros ultrajectinos habuerit Ecclesiae socios, quorum magnam verecundiam et caritatem sibi conciliarat, ex eo patet, quod in urbem natalem venire, ad verborum divinorum interpretandorum ministerium suscipiendum, noluerit, neque tamen in Academiâ Rheno-trajectinâ Professoris Extraordinarii munus honorificum, sibi oblatum, obire potius voluerit. At recusare non potuit, cum, anno 1829, vocaretur, ut Viro Clarissimo EELCONI TINGAE, dum vivebat in Academiâ Groninganâ Theologiae Professori Ordinario, succederet. Igitur Groningam abiit, et munus professorium solennitur auspicatus est, die 20 Februarii a°. 1829, habitâ oratione *de Eloquentiae sacrae naturâ.* Et per duo lustra, quibus in Academiâ Groninganâ sacrae disciplinae praecepta tradidit, cum praeceptor erat diligentissimus, praeeundi et adjuvandi alacritate paratissimus, institutionisque subtilitate et egregiâ ratione praestantissimus, — tum vero concionator academicus spectatissimus, usu quoque et ingenii dotibus ad has officiorum partes explendas aptissimus, ideoque urbis pariter ac Academiae civibus hoc nomine utilissimus et gratissimus, — tum denique Theologus meritissimus, indefessus qui studiis vigilabat, meditandoque et inquirendo animum acrius intendebat, scriptisque doctissimis edendis, id omni ope praestare enitebatur, ut, ad theologicam disciplinam perficiendam et promovendam, huic ipsi optime serviret [1]). Habitabat inprimis in theologicae

---

[1]) Vid. *Annotatio* III.

disciplinae parte practicâ; Dogmaticam docebat et Homileticam; Theologiam, pastoralem quam vocant, tradebat, caet. Hanc igitur institutionis suae partem praecipuam et gravissimam ducebat. Attamen in hâc unice versari ac manere, neque ei placebat, nec satis existimabat; sed pluries egredi, aliasque partes, cum affines tum remotiores, contemplari, et multifariâ exercitatione discipulorum studiis maxime favere plurimumque prodesse oportere, sibi persuasum habebat. Et quemadmodum judicabat, sic praeclare fecit. Quod si mihi esset probandum, testes non modo haberem multos, qui ex ipsius scholis, Groningae habitis, profecti sunt, Viros doctissimos plurimumque venerandos, sed indicare aut citare sufficeret, quae exstant annotata de multis scholis, quas quotannis de variis Theologiae argumentis habere solebat; quibus quidem haud scio quid magis miremur, aut multifariam, quam tenebat, scientiam, summamque doctrinae et eruditionis praestantiam, an incredibilem industriam et alacritatem, suaeque doctrinae in studiosae juventutis usum conferendae singulare studium. Vere igitur Academiae Groninganae erat decori, factisque et consiliis cum Religionis causae Ecclesiaeque rebus, nec minus civium commodis, huc pertinentibus, optime consulere studeret, minime mirandum, quod omnes aegre ferebant, immo vehementer dolebant, talem virum abiturum. Et tamen sic evenit anno 1839, quum nostrae inclytae Academiae Curatores Illustres Theologiae docendae provinciam, diu quam dignissime administrarat Vir Clarissimus LUCAS SURINGAR, jam anno 1833 mortuus, quum hanc, inquam, provinciam suscipiendam Viro Clarissimo VAN OORDT detulerant. Et vicissim, arcta, quae inter eum et collegas amicosque Groninganos intercesserat necessitudo, causa gravissima exsistebat, cur primum de Leidensi cathedrâ vacante accipiendâ dubitaret. At tandem vocationi cessit, et Theologiae professionem ordinariam, in nostrâ Academiâ, solenniter auspicatus est, die 11 Decembris a°. 1839, habitâ oratione *de Vero, in Theologiâ unice sectando.* Et hâc oratione Vir Clarissimus luculenter et egregie ostendit, quis esset, quove praeditus ingenii acumine et quantâ eruditione praestabat, — quam recte de liberali instituendi et investigandi ratione censebat — quo acri at honesto veri reperiundi studio ardebat, — quâ sincerâ mente et bonâ voluntate se commendabat, talemque se futurum, qualem eum cognovimus, nempe praeceptorem academicum praeclarum et

diligentissimum, — ad juvandum paratissimum, — ad suscepta perficienda maxime alacrem, — comitate facilem, — hilaro animo gratum, — ab opinionibus praejudicatis liberum, — alios de vero, quid iis videbatur, quidve cogitabant, lubenter audientem, — mentis acie, quoad licebat, videre et contemplari decere, ideoque ingenia ac mentes nullis vinculis cohiberi oportere, existimantem, — attamen statorem constantem judicemque severum, si veritatis divinae causa ageretur [1]).

Et quemadmodum in statione Groninganâ, ad munus academicum bene explendum, in duplici officio exsequendo omnem operam posuerat, sic et Leidae fecit. Primum nempe ut bonâ institutione, cum scholis academicis tum orationibus sacris, juvenes Theologiae studiosos ad sanctissimam provinciam informaret, deinde ut studiis vigilaret, investigandoque et commentando disciplinae materiem melius conformaret, itaque ipsae disciplinae perficiendae aut illustrandae inserviret [2]).

Sed quidquid agebat aut peragere animum inducebat, — sive ad studia aut ad muneris officia pertinebat, — sive ad rem sacram una cum aliis bene administrandam vel moderandam, — sive ad quodcunque cujuscunque generis negotium bonum honestum et utile gerendum aut constituendum, — id praesertim omni ope efficiendum esse censebat, ut summa Religionis Christianae praestantia clarius splendidiusque enitesceret, ejusdemque sanctus cultus, ad bene beateque vivendum aptissimus et efficacissimus, etiam atque etiam promoveretur. Ergo hanc ipsam perfectius cognoscere, et alios melius docere, suum officium judicabat. Hoc ei erat persuasissimum, nullamque curam aut operam, nullum laborem, nullasve difficultates superandas, verebatur aut vitabat, ut et fidei et persuasioni responderet, et officio et vocationi satisfaceret.

Ob hasce virtutes magnaque ob merita et multa bene facta, quam carus fuerit, et quanti sit aestimatus, illo quidem luctuoso desideratissimi defuncti exsequiarum die, verbis candidissimis, ad sepulcrum solenniter pronuntiatis, magnâque frequentiâ collegarum amicorum discipulorum et civium adstante, praeclarissime expressum est [3]).

---

[1]) Vid. *Annotatio* IV.

[2]) De scriptis Cl. VAN OORDT vid. *Annotatio* VI.

[3]) Vid. *Annotatio* V.

E numero Professorum emeritorum tres desideramus viros clarissimos, MACQUELINUM, MAHNIUM, BERNARDUM, quorum hicce tertius, etsi inter rude donatos proprie non recensitus, attamen juribus Professoris et honore fruebatur. Singulorum vitas breviter exponere quandoquidem ex praescripto oportet, primum quidem, ut ordine dicam, de MACQUELINO, cujus, anno praecedenti, mensis Aprilis dies quartus fuit supremus, mihi est dicendum.

Natus erat MICHAEL JACOBUS MACQUELYN *Delphis Batavorum*, anno 1771 die 10 mensis Septembris. Patrem habuit GUALTHERUM MACQUELYN, civem delphensem, navis mercatoriae quondam magistrum. Ingenio praeditus, artium liberalium studiis aptissimo, tali etiam fructus est institutione, quâ juvenum ingenia recte conformantur et ad disciplinas bene colendas erudiuntur. In literarum studia haud infeliciter incubuit, duce viro doctissimo, optimeque de literis merito, HENRICO HOOGEVENIO, Scholarum Delphensium tunc temporis Rectore. Adjutore autem imprimis usus est GYSBERTO VAN EGMOND, viro doctissimo, ejusdem Gymnasii Prorectore, quem semper maximi aestimavit, posteaque etiam socerum habuit. Horum duumvirorum praeceptis largiter instructus, cum Medicinam aliquando factitare posse optaret, ideoque hujus artis studiis se dare constituisset, a°. 1789 Academiae Leidensis civibus adscriptus est.

Erant eo tempore, inter celeberrimos Academiae nostrae Professores, Viri Clarissimi EDUARDUS SANDIFORTIUS, OOSTERDYKIUS, PARADYSIUS, BRUGMANSIUS, omnes in medendi scientiâ et arte principes, magnâ eruditione doctrinâque et peritiâ longe lateque celeberrimi. Hosce igitur praeceptores nactus, discere ab iis, doctrinae copiam haurire et sibi adparare ex eorum egregiâ institutione, et his iisdem ducibus maxime se exercere, MACQUELINUS omni ope enitebatur. Hos ipsos, velut exempla, intueri et imitari strenue consectabatur; colere autem eosdem summâque pietate prosequi numquam desiit. At Praeceptores clarissimi egregium hunc habebant Academiae alumnum, de quo sperabant exspectabantque, fore ut, inter Medicos eruditissimos et expertissimos, dignum aliquando teneret locum, cuique, stadiis academicis laudatissime decursis, jure ac merito, summos

in arte medicâ honores tribuendos esse judicabant, quum, anno 1795, die 14 Novembris, doctam a se conscriptam dissertationem *de vomitu* publice defenderat.

Medicinam in urbe natali exercere coepit, idque, per triginta deinceps annos, felicissime et laudatissime facere perrexit. Praxi verumtamen medicâ aegrotantium saluti servire non satis sibi ducebat, at vero magis sese erudire, studiorumque ipse amantissimus, studiis etiam atque etiam operam dare haud cessabat, germanum Medicinae Doctorem doctrinâ assidue praestare oportere recte judicans, ideoque et in artis emolumentum perpetuo esse meditandum et lucubrandum ad ejusdem officiorum momenta omnino pertinere. Et facto quidem ostendit quid sit illud, praestare velle et posse utiliter ad doctrinae et artis utilitatem conferre. Etenim quantum ei erat otii, tantum studiis suppeditabat, doctisque commentationibus praebendis, sive etiam, una cum aliis Medicis expertissimis, publicae notitiae tradendo, cum quod ex aliorum tum quod ex propriis meditationibus et investigationibus collegerat, disciplinae et arti medicae optime servire et prodesse posse omnem operam dabat [1]). Cumque in arte exercendâ, sive privatim sive publice (si quidem et Poliateri provinciam *Delphis* administrabat), maxime praestaret, meritam doctrinae non modo sed etiam magnae peritiae famam sibi comparavit. Et bono quo erat ingenio, subtili doctrinâ conformato, assiduâ meditatione variâque exercitatione subacto, e longâ sane quidem diuturnâque experientiâ, quotidie quasi, largiter hauriendi copia ei erat, et hausta bene adhibendi, aut, ad id faciendum, praecipiendi quamlibet opportunitatem avide adpetebat et arripiebat. At erat imprimis in eo magna solertia et mira quaedam facultas, seu proprium nativumque acumen, quo protinus, ad aegrotantium lectulos, aegritudinis morbive naturam et indolem, causam vel fontem, claro et aperto velut oculo, agnoscebat aut detegebat et perspiciebat, tum vero, quânam viâ optimâ, in curando, si posset, procedendum, statim videbat et recte monstrabat vel praecipiebat.

Haec non latebant, at celebritate potius cognita erant. Quapropter, quum, anno 1824, Academiae nostrae Curatores Illustres deliberabant,

---

[1]) Vid. *Annotatio* VII.

quem potissimum, ad Medicinam practicam docendam, vocarent in locum Viri Clarissimi Krausii, propter infirmam valetudinem honestâ rude donati, Macquelinum, utpote Medicum, diutinâ ac multiplici experientiâ in arte versatum et tritum, eundemque scholae Oosterdykianae et Paradysianae eximium alumnum, dignissimum judicabant, cui hanc primariam provinciam mandarent. Munus honorificum, inopinato sibi oblatum, accepit, et Medicinae practicae professionem ordinariam solenni ritu auspicatus est, die 2 Octobris, anno 1824, cum verba faceret *de Medicinae practicae Doctore, fideli artis Historico.*

Per sex fere lustra medicinam inter cives suos fecerat, nec umquam ex urbe natali migrare cogitaverat, tertiumque et quinquagesimum vitae annum agebat, cum in nostrâ Academiâ docere coepit; attamen juvenili vigore et ardore partes suas, haud leves illas, suscepit et alacriter implevit. Valetudine namque gaudebat firmâ, immo robustâ, ita ut per duodeviginti annos, quotidie ad aegrotantium lectulos docere, praecipere, et longae experientiae fructus communicare continuaverit, — tum vero alibi consulto servire, aut quo, officiorum munerisve mandati causâ, evocabatur, statutis diebus adesse, non cessaverit, — scriptis denique aut doctis commentationibus, ad artem disciplinamve promovendam conferre, haud destiterit nec supersederit [1]. Semel quoque Rectoris munus academicum gessit, plurimaeque de anno haud infelici gratias agendi causae ei exstiterunt [2], quum, d. 8 Februarii a. 1830, Magistratum solenniter deposuit, habitâ oratione *de nonnullis Philosophiae Naturalis partibus, cum institutione Medicinae arctius conjungendis.* Praesertim autem vigilabat omnemque curam et operam collocabat in eo, ut praeceptis studiosae juventutis institutioni prodesset. Et gratus erat discipulis Magister, numquam qui non alacer, firmissimo semper passu et fronte serenâ, appropinquabat, jocari amans, in rebus attamen gravioribus maxime serius, sed hilaritate comem ultro se praebens, et adjuvare paratissimus.

Anno 1842, cum per duodeviginti annos, in munere obeundo, diligentissimus fuisset, ob aetatem plus quam septuagenariam, honorifica quies

---

[1]) Vid. *Annotatio* VIII.
[2]) Vid. *Annotatio* IX.

ei concessa est, eique dignissime successit Vir Clarissimus GERARDUS CONRADUS BERNARDUS SURINGAR, eo tempore in Illustri Athenaeo Amstelodamensi Medicinae practicae Professor ordinarius. Otium vere ei fuit literatum; classicorum namque scriptorum studio delectabatur. Nec illi cognoscendi sciendique, quo semper flagrarat, amori indulgere desiit, quo rationem modumque, quibus ars medica in variis tractibus perficiebatur, animadvertere et cognoscere pergebat. Sed decem senectutis otiosae anni non omnes ei felices fuerunt. Duobus namque supremis, cum vitae laboriosissimae defatigationibus paene consumtus esset, visûsque et auditûs usu magis magisque deficiente, grandioris aetatis incommodis et molestiis graviter premebatur.

Sesquimense post MACQUELINI obitum vix praeterlapso (d. 20 m. Maji a. 1852), ecce in novo luctu eramus, ob mortem Viri Clarissimi, omnibus accepti maximeque aestimati, GUILIELMI LEONARDI MAHNE, in Ordine Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum Professoris emeriti. Hic pariter octogenarius, cui jam anno hujus saeculi 43° honorificâ quiete frui licuisset. Nihilominus ad annum usque h. s. 46um docendi munus obiit. Tum vero, podagrae imprimis cruciatu magis magisque vexatus, Auditoribus allocutione valedicens, a praelectionibus cessavit. Corporis autem incommoda et dolores perferens, horumque patientissimus, valetudine satis bonâ fruebatur, et mente animoque ad supremum usque vitae diem vigebat. Itaque, quod semper optaverat, literis nempe diligenter colendis tempus impendere, ab hoc non abstinuit, sed investigando et meditando, et e suâ doctrinae copiâ hauriendo, literarum disciplinae optime servire perrexit, recte quidem existimans, ad extremum usque vitae spatium de literis bene mereri quemque oportere literarum cultorem et statorem. Et vere ipse sic fecit. Quas enim, ab anno 1829 ad annum 1834 subinde publici juris fecerat *Danielis Wyttenbachii Davidisque Ruhnkenii*, et aliorum in republicâ literariâ principum Virorum, *Epistolas mutuas*, has ipsas, anno 1847, egregiis supplementis, omnium doctorum approbatione, auxit. Triennio post *Ciceronis Synonyma* cum annotationibus suppeditavit. Et opusculo, triennio ante

edito, *Miscellaneaque Latinitatis* continenti, cum alteram partem addere in animum induxisset, hanc conscripsit, et conscriptam prelo mandavit, jamque, quod addendum restabat, dictaverat, cum paucis post diebus de vitâ migraret. Itaque opusculum editum videre et inspicere posse Auctori non licitum est. At quo quidem documento melius probaremus, Virum Clarissimum, optimum eundemque et probum, animique candore omnibus commendatissimum, labore indefesso ac singulari studii et cognitionis amore, id laudatissime operam dedisse, ut otium suum foret fructuosissimum. Sed ad ipsius vitae cursum propius paullisper attendamus.

Natus erat Amstelodami, anno saeculi praecedentis 72°. Pater, qui Proxeneta erat, mercaturae negotiis maxime occupatus, cum omnem, quam vellet, liberorum honestae ac liberali educationi curam gerere non posset, filium, natu maximum, sexto ejus aetatis anno, *Tremoniam (Dortmund)* misit, quâ *Westphaliae* urbe cognati ei et genere propinqui habitabant. Verum etiam urbis Gymnasium, optimâ praeceptorum institutione, inclytum erat maximeque florebat, ut nullus, bono ingenio praeditus, discendique amore commendabilis, hujus Gymnasii scholas frequentaret, quin literarum humaniorum studii suavitate caperetur. At talem MAHNIUS se praestitit discipulum, qui, doctrinarum subsidiis large et liberaliter instructus, annoque 1789 in patriam reversus, cum celeberrimi deinceps WYTTENBACHII, Amstelodamensis Athenaei nomen qui, eo tempore, sui nominis famâ magis magisque nobilitabat, hujus, inquam, summi viri scholas cum diligenter et avide audiverit, egregiâ institutione incitatus, literarum studiis totum se dedere, et in his, patre omnino consentiente, vitae suae tabernaculum collocare constituit. Brevi quidem inter eximios WYTTENBACHII discipulos numerabatur, celeberrimo praeceptori ita se commendans, ut hunc benevolum semper habuerit fautorem optimumque patronum. Singularis industriae magnorumque progressuum egregium specimen praebuit anno 1793, cum per lustrum WYTTENBACHII institutione usus erat. Doctam namque, ad instar speciminis academici a se conscriptam, edidit *Diatriben de Aristoxeno, Pilosopho peripatetico*, quam, in *Bibliothecâ criticâ*, maxime laudavit WYTTENBACHIUS, ut, cum opusculum extra patriam innotuisset, aliquot annis post *Lipsiae* sit repetitum. Hanc attamen doctrinae et eruditionis existimationem nonnulli, in patriâ nostrâ, censores MAHNIO in-

videre et obtrectare videbantur, eam quippe censuris imminuere et violare conati sunt. Ergo, contra horum injurias ut se defenderet, scripsit *Epicrisin censurarum Bibliothecae criticae*, quam tamen anno demum 1808 edidit, quum Gymnasii Amisfurtani Rector erat.

Anno namque 1793, cum parentes Amstelodamo Trajectum ad Rhenum habitatum concessissent, ibique exspectans, donec optata aliis studiorum suorum fructu serviendi occasio offerretur, interim hanc nactus opportunitatem, quâ Academiae Rheno-trajectinae Professorum scholas audire posset, iis imprimis interfuit, quas SAXIUS, SEGARIUS et BONDAMIUS habebant, horumque Virorum Clarissimorum, WYTTENBACHII amicorum, certissimam benevolentiam sibi conciliavit. Cum vero octo circiter menses in hâc Academiâ commoratus erat, Gymnasii Amisfurtani Conrector creatus est, annoque 1794 Amisfurtum abiit, nec ita multo post (anno nempe 1796) Gymnasii Rector renunciatus est, in locum Viri Doctissimi HANAE, Amstelodamensis Gymnasii Rectori qui successerat. MAHNIUS digne quidem et laudabiliter hanc provinciam, per duodecim annos, administrabat. Civibus haud minus quam discipulis carus erat, neque de hâc statione discessisset, si rei familiari satis succurrere potuisset. Quapropter, ac praesertim igitur ut rebus suis melius prospiceret, gratum ei erat, quod anno 1809 *Zierirczeam*, ubi Gymnasii Rector obierat, vocabatur. Jamque aliquot annis ante, mortuo Viro Clarissimo SAXIO, hujus cathedram vacantem accepisset, si probabiliore ac honestiore conditione, quâ muneris professorii reditus ad cultum suppeditaret, oblata fuisset.

Septennium, quod MAHNIUS Rectoris munere *Ziericzeae* functus est, tempus fuit, Patriae imprimis, ob NAPOLEONTIS dominationem, difficillimum. At MAHNIO, plura etsi dura essent asperaque, tamen multa quoque acciderunt, quorum memoriam gratus conservabat. Maxime namque ei favebat Vir Clarissimus HULTHEMIUS, Academiae Bruxellanae Rector Magnificus, cui Gymnasii Ziericzeani rerum moderandarum negotium datum erat. Hic vir eruditissimus, idemque honestissimus, MAHNIO benevole indicabat rationem modumque, quibus de institutione, deque rebus suis, bene sperare posset, prudenter dummodo et diligenter rem agere pergeret. Hujus consilia scholis Ziericzeanis multum profuerunt. Ipsum autum MAHNIUM erigebat, monebat invitabatque ut doctis scriptis literarum studiis in-

serviret [1]. Quanti denique MAHNII doctrinae praestantiam faceret, identidem probavit, hujusque existimationis hoc quoque sit testimonio, quod MAHNIO persuadere posse etiam atque etiam eniteretur, ut cathedram literarum graecarum, in Academiâ Bruxellanâ, si erigendam concederetur, accipere vellet. WYTTENBACHIUS autem aliique ejusmodi consilium capere prorsus dissuadebant. Caeterum res ipsa in oblivionem abiit.

Tempore hoc iniquissimo MAHNIUS attamen, quod pluribus literarum cultoribus vix contigerit, literis saepius vacare potuit. Industriam autem suam probavit edendis variis opusculis, quorum memorare hîc liceat, quod inscribitur, *Epistolae Sodalium Socraticorum Philomathiae*, numquam quae fortasse prodiissent, sine gratissimo illo animo et pietate, quâ MAHNIUS erat erga WYTTENBACHIUM, alterum velut parentem quem colebat ac venerabatur, defendere quem, proque ejus nominis famâ propugnare, prorsus suum esse existimabat [2].

Rerum publicarum mutatio, omnibus patriae et libertatis amantibus gratissima, MAHNIO prospera erat. Etenim cum anno 1816 novi Regni Neerlandiae primus Rex GUILIELMUS *Gandavi* Academiam condidisset, MAHNIUS dignissimus habebatur, qui inter primos novae universitatis Professores honorificum locum obtineret. Hoc munere professorio alacriter fungi incepit [3], illudque, bene docendo multumque in literarum recte colendi studii emolumentum conferendo, per 13 annos laudabiliter gessit. Sic v. c. ejus curâ et operâ factum est, ut literarum cum latinarum tum vero imprimis graecarum studium, quod in *Belgio* fere jacuerat, brevi quidem erigeretur, paucisque post Academiam Gandavensem conditam annis, jam nonnulli literarum candidati, literarum disciplinam subtilius et felici successu colentes, ad munera scholastica obeunda vocarentur. Et quovis quidem modo studiosae juventuti prodesse omni ope enitebatur, nec umquam laborem subterfugiebat, quo Academiae commodis serviret. Omnes ea propter, disciplui pariter ac collegae, magni faciebant virum probum, candore ac simplicitate haud minus quam bonitate et humanitate maximopere

---

[1]) Vid. *Annotatio* X.
[2]) Vid. *Annotatio* XI.
[3]) Vid. *Annotatio* XII.

se commendantem; idque omnes quidem nostrum, antea qui Gandavi eum visitaverunt, uno ore testabuntur, grati ejus benivolentiam summumque officium recordantes.

Quantum temporis ei vacabat a munere obeundo, tantum studiis literisque colendis impendebat. Diligentiae autem et industriae suae praeclara habemus testimonia in scriptis, quae subinde edidit, cum ut in literarum disciplinae emolumentum maxime conferret, tum vero etiam ut pietatis officio satisfaceret. Extincto namque, ineunte anno 1820, praeceptore suo celeberrimo, id a se postulari arbitrabatur, ut literis mandaret, quaecunque ad suam notitiam pervenerint de vitâ et studiis summi Viri, ingenio et doctrinae praestantiâ qui adeo praecelluit, perque 50 annos tantum praestitit.

Primum igitur WYTTENBACHII vitam explicavit, magnâ quidem omnium eruditorum approbatione, tantâque commendatione, ut eodem anno, quo opus prodierat, altera editio posceretur, et biennio post in Germaniâ repetita sit. Deinde aliud opusculum apparuit, *quinque* WYTTENBACHII *acroases*, in Amstelodamensibus scholis olim recitatas, continens, et quod MAHNIUS, tanquam additamentum ad ea, quae de WYTTENBACHII vitâ exposuerat, brevi se editurum promiserat. Tum ea edenda cogitavit, quae ex defuncti manuscriptis et annotatis itemque ex multis epistolis digna viderentur, quae ad publicam notitiam pervenirent. Igitur a WYTTENBACHII epistolis selectis edendis ordiendum esse putavit, tum vero ad RUHNKENII cum WYTTENBACHIO aliisque epistolarum commercium esse attendendum. Tardior autem cum jam in primâ hujus pensi propositi parte absolvendâ fuisset, et WYTTENBACHII *epistolarum selectarum fasciculos* anno demum 1830 edidisset, ecce, quominus incepta continuare posset et brevi eadem perageret, impediebatur et prohibebatur, republicâ quippe, improbo populi belgici motu seu tumultu ac perfido seditionis desiderio, subito perturbatâ. Quo quidem, ut novimus, factum est, ut Academiae Professores, natione batavi, qui in *Belgio* docendi munera gerebant, de stationibus discedere coacti, veteribus Academiis batavis adjungerentur. Et MAHNIO gaudere sibique gratulari licuit, quod in hâc Palladis sede, quam summus Praeceptor quondam ornaverat, discentium studia moderari ac juvare, literisque colendis operam dare posset. Simulatque autem aptam nactus erat oppor-

tunitatem, studia, aliquamdiu intermissa, revocavit, et alacriter ad incepta peragenda aggressus est. Et vota solvit, et, sicut commemorare incepi, ad rogum fere usque maximas in eo praesertim curas collocare studuit, ut exacte investigaret et colligeret traderetque, quidquid literarum cultoribus, ad WYTTENBACHII merita plenius cognoscenda justiusve aestimanda, gratum esse posset et exoptatum [1]).

Sic igitur MAHNIUS de literis bene meritus habeatur, literarumque cultores et fautores Viri Clarissimi memoriam pie colant, quibusque rebus peragendis vitae magnam partem utilissime transegerit, grati recordentur [2]).

Restat ut BERNARDUM memorem. Hic namque Vir Clarissimus, cui dies 16 Junii anni praeteriti vitae fuit supremus, Professorum Ordini erat adscriptus, salvis quandoquidem honore omnibusque juribus Professoris de provinciâ discesserat, quam, ab anno inde 1818 ad annum usque 1824, in nostrâ Academiâ administraverat.

Natus erat JOSEPHUS CHRYSOSTOMUS BERNARDUS BERNARD *Harlemi*, die 25 Aprilis anno 1774, eratque filius unicus viri doctissimi et eruditissimi HENRICI FREDERICI BERNARD, Medicinae Doctoris expertissimi et honoratissimi. Magna parentum spes de carissimo filio, bonâ indole et praestanti ingenio se commendante, haud eos fefellit. Summâ namque curâ honeste educatus largiterque et liberaliter instructus, cum Medicinam aliquando in urbe natali factitare posse ardenter cuperet, anno 1789 Academiae Lugduno-batavae civis factus est. In artis salutiferae studia eâdem ingenitâ illâ diligentiâ, eodemque singulari illo sciendi discendique amore incubuit, quibus Gymnasii Harlemensis egregius primusque semper inter pares fuerat discipulus. Quin etiam, quum percelebrium Medicinae Professorum BRUGMANSII, PARADYSII, SANDIFORTII et OOSTERDYKII egregiâ institutione, per septem fere annos, usus erat, *Harlemum* rediret, summis non modo ornatus honoribus, verum etiam omnium Praeceptorum laude

---

[1]) Vid. *Annotatio* XIII.
[2]) Vid. *Annotatio* XIV.

etiam atque etiam commendatus. Hi namque, egregii si spectabant discipuli cum ingenium eximium perque politum, tum optimam ejus studiorum rationem, tum vero etiam mores integerrimos et honestissimos, profecto habebant, quo sperarent et exspectarent, fore ut talem se praestaret, qualem futurum augurabantur. Justam autem fuisse hanc existimationem, quisque doctus facile quidem concedet, qui propius attenderit rationem speciminis academici [1]), quod BERNARDUS, ad summos in Medicinâ honores capessendos, praebuit publiceque omnium examini submisit, ad diem 6 Aprilis, anno 1796.

Exspectationi autem BERNARDUS plane satisfecit. Summopere namque id operam dedit, ut in praxi medicâ doctrinae principiis probatis duceretur. Hisce igitur artis praecepta esse superstruenda, consilioque porro prudenti esse agendum, persuasum sibi habebat, probe etiam judicans, bonum Medicum cautum imprimis, immo timidum potius quam audacem, esse oportere. Hanc normam sibi sequendam praescripsit; hanc tenuit, ab eâque non decedens, in eâdem adhibendâ excelluit. Hâc namque duce aegrotantium saluti optime et felicissime consuluit, neque alios latuit quam sibi vellet in medendo cautelam et prudentiam, praecipuam Medici dotem. Brevi igitur omnes ei confidebant, nominisque fama crevit, ita ut in urbe natali non modo, verum etiam alibi, aegrotantibus opitularetur, et aliunde quamplures eum adirent, auxilium aut consulta petentes; quin etiam a LUDOVICO NAPOLEONTE, Hollandiae tunc Rege, designaretur ut sibi foret Medicus a consultis. Ob cognitam insuper spectatamque probitatem rerumque prudentiam, ob id, quod bonum honestumque maxime esse expetendum suo ipse exemplo comprobabat, omnes eum magni faciebant, fiebatque ut saepius ad munera vel officia publica obeunda rogaretur et vocaretur. Sic per decennium fuit Praeses collegii, cui, in Provinciâ Hollandiae Septentrionalis, rerum, ad Medicinam factitandam pertinentium, moderandarum et tuendarum cura erat mandata. Sic, quo tempore NAPOLEON, Gallorum Imperator, dominabatur, urbis Harlemi Magistratui fuit Adjunctus, itemque postea inter Civitatis Harlemensis Senatores adlectus.

---

[1]) *Specimen inaugurale, sistens Quaestiones medici argumenti.*

Honore igitur ac dignitate cum floreret, splendidiora non optabat, nec ullam provinciam suscipere cogitabat, ad quam administrandam urbi natali foret valedicendum. Scilicet sic optavit; aliter autem evenit. Doctrinae etenim et eruditionis praestantiâ haud minus quam cognoscendi et investigandi industriâ praecelluit. Ergo et pluribus artium doctrinarumque Societatibus, quas vocant, erat adscriptus, et doctorum virorum, qui in disciplinas exornandas omnem operam conferebant, socius erat strenuus, dignissimum quem habebant aliquando qui munus professorium obiret. Rogatus autem, suscipere recusaverat; iterumque fecerat, conditâ Academiâ Gandavensi, nec aliam fere mentem voluntatemque habuit, quum cathedra in nostrâ Academiâ ei offerebatur; neque hanc accepisset, nisi et amici et celeberrimorum praeceptorum unus BRUGMANSIUS superstes, etiam atque etiam admonuissent et suasissent, ut sententiâ desisteret. Itaque cessit et obtemperavit, et Medicinae imprimis practicae professionem ordinariam solenniter auspicatus est ad diem 7 Martii anno 1818, habitâ oratione *de ratione hippocraticâ, nostrâ non minus quam* Boerhavii *aetate commendandâ.* Hâc quidem oratione, brevi admodum illâ at minime tenui, ex intimâ rerum cognitione, quam contemplatione ac meditatione longoque usu sibi comparaverat, argumenti veritatem docte et ornato sermone probavit, futurisque discipulis artem salutiferam rectissime colendam egregie commendavit. Ipse autem merito praeclarum hippocratici et boerhaviani medici exemplar fuisse dicitur, artisque insignem praestantiam suo exemplo comprobasse censetur. At vero etiam, in munere gerendo, Academiae famae et discentium commodis plurimum eum profuisse, uno ore omnes, qui supersunt, discipuli testantur. Laudant namque praeceptoris cum acuti ingenii praestantiam tum accuratam doctrinam, saluberrimis veterum Medicorum praeceptis imbutam, magnam porro in expiscandis morborum causis sagacitatem, simplicemque denique et concinnam medendi methodum, sed abhorrentem maxime ab administrandis medicamentis novis, usu nondum probatis. Ac veluti hâc ratione, in exercitio practico, praecipuam medici dotem existimabat prudentiam, sic in theoreticis, quae vocantur, scholis, simplicem et accuratam doctrinam longe pluris faciendam esse, quam opinionum commenta et ingenii illecebras, arbitrabatur. In explicandis vero Gaubianae et Stollianae doctrinae monumentis sic versatus

fuisse dicitur, ut facundiâ non minus, quam sermonis perspicuitate et elegantiâ, juvenum discentium animos maxime alliceret.

Hunc igitur praeclarum doctorem academicum abiturum dolebant fere omnes, cum, anno 1824, Rex Guilielmus Primus, Bernardi merita maximi faciens, rebus eum, ad sanitatem navalis et terrestris militiae pertinentibus, praefecerit. Regis voluntati resistere non potuit; itaque, aegre quamvis, de statione academicâ discessit, ejus attamen voti compos et gaudens, quo ipse Professoris honorem juraque omnia perpetuo obtineret, et quo doctissimum Hoevenium, expertissimum et eruditissimum Medicinae Doctorem Roterodamensem, dignissimum nancisceretur successorem.

Meum non est referre, quid Bernardus, in novo gravissimoque munere gerendo, praeclarum fecerit praestiteritque. Attamen si, quâ fuerit probitate et prudentiâ spectatâ, attendimus, tum vero, quae ejus in arte medicâ erat longa et varia experientia, si consideramus, ecquid dubitaremus quin, quod moderandum et administrandum susceperit, optime saluberrimeque gesserit? Sed probant hoc quoque multa pulchraque benevolentiae documenta summaque Regis approbationis testimonia, abunde et identidem quae ei cesserint, tum vero etiam honores, quibus ornatus, et dignitatis gradus, quos adeptus est.

Bernardo autem, ab anno inde 1841 honorificentissimâ quiete fruenti, tantorum pro magnis meritis beneficiorum gratissimo animo recordari posse, per undecim annorum spatium contigit. Et nisi acerbissimo affectus dolore, quem acceperat ex obitu carissimae uxoris, matronae ingenii cultu ornatissimae animique virtute spectatissimae, senectus otiosa profecto ei fuisset felicissima.

Vitae totum cursum respiciens, bonaque ei concessa et largiter data animo reputans, pro multitudine et magnitudine beneficiorum gratias persolvendi officium religiosissimum habebat. Honores autem sibi tributos, aut nobilissimorum et dignitate summorum virorum, sive civium sive exterorum, vel etiam Regum et Principum, cum laudes tum approbationis documenta et significationes, quas acceperat, considerans, etsi tantae existimationis et famae memoriam gratus recordaretur, tamen, quidquid doctrinâ et experientiae fructu proficere studuerat, hoc reminisci, et perpendere quoad bene fecerat, longe plurimum placebat. Utque omnium honorum,

quibus ornatus fuerat, Professoris illo nullus alius ei gratior, sic, quod docendi munus, in hâc Palladis sede, quondam obierat, hujus rei recordatio quâvis quidem aliâ erat jucundior, omniumque, ad supremum usque diem, jucundissima.

Nos A. A. H. H.! profiteamur, BERNARDUM Academiae nostrae quondam ornamento fuisse, ejusque memoriam pie esse recolendam et conservandam.

Sic quidem A. A. S. S.! memoravi, quae, me Rectore, Academiae, nobisque adeo omnibus, maxime lugenda acciderunt. Quodsi et de iis, quae privatim nos adtinent, esset dicendum, casus profecto acerbissimos reminisci et recordari oporteret. At cur adeo dolores renovarem, quibus nonnulli nostrum, capitum carissimorum jacturâ, luctuve domestico, anno praeterlapso, graviter sunt afflicti? Sunt namque e Professorum Ordine, qui aviam spectatissimam, — qui uxorem carissimam, liberis orbatis matrem diligentissimam, — optimam qui uxoris dilectissimae sororem, afflicto marito moestisque parentibus repente ereptam, — qui desideratissimae uxoris fratrem conjunctissimum, — qui neptem dulcissimam, — qui infantem natum, — qui consanguineos amicissimos lugent.

Sed insuper, quasi vero fatale quoddam anno Magistratûs mei impenderet, quo luctûs dolorisve aut timoris causa nulli ordini deesset, et vestram coronam, Optimi Adolescentes! ab omni clade non fuisse immunem, mihi est commemorandum. Etenim nec vestrae coronae pepercit atra mors, in omnes, senio sive confectos, viribus seu validissimis vigentes, aetatis sive flore laetantes, sive etiam in vitam vix ingressos, grassari gaudens! O utinam parentes, optime qui sperabant de filiis, e vestro commilitio ereptis [1]), habeant, e quo solatium hauriant, totoque animo in Summi Numinis consiliis sapientibus aequiescant! Amici utinam amicos, vitâ egressos, fortiter desiderent! Vos autem juvenes! Commilitonum mortem lugeatis, et, qualescunque in vitâ fuerint, sed bonum, quo se commendabant, spectantes, eorum memoriam pie conservetis.

---

[1]) Vid. *Annotatio* XV.

In faustis laetisque, quae Academiae acciderunt, maximam Deo gratiam habendi causa nobis exsistit, quod Professores emeritos superstites, nonnullorum etsi grandiorem aetatem attendamus, salvos et sanos esse omnes valde gaudeamus, immo esse inter illos, animo et mente non tantum, at vel corporis viribus adeo vigentes, ut nihil aetas provectior onerosi, nihil quidquam molesti iis afferre videatur. Quidni de vobis, Viri Clarissimi! HENGELI et TYDEMANNE! Senes Venerabiles! hoc dicere nobis liceat, vigentes quos adspicimus et alacres, studiis qui operam datis, et a muneribus plane vacare vix potestis? Quo nomine, utinam diu, Viri, animi ingeniique praestantiâ clari et doctrinae famâ celeberrimi! Deo Omnipotenti gratias agendi officium nobis sit impositum, pro summâ benignitate, quâ, vobis servandis, nobis propitius sit!

Et alii profecto erunt, existimari vix posse qui dicant, disciplinas mathematicas, prouti latius patuerunt et amplificatae sunt, non omni absolutione, neque ad normam perfectam esse pertractatas, cum tamen pertractandi ratio, mathematicam rationem quam vocant, omnium semper optima sit habita, meritoque accuratissima existat in veri indagatione et disquisitione. Insuper, quod perhibeo, vix admitti posse iidem dicunt, quasi nullus multorum praestantissimorum hujus aevi mathematicorum hanc rei indolem non perspexerit, formamque simul cum materie cognoscere studens, hanc veram faciem non viderit et conspexerit. Et tamen repeto et contendo, et probare posse opinor, praestantissimorum mathematicorum bene multos, ordinem illum normamque et rationem, quam laudant, unicamque omnium optimam habent, quamque dimittere se posse vix arbi-

trantur, saepius non recte aut omnino non secutos esse, vel tamen ejusdem omnem, quam oportuerit, rationem non habuisse. Praesidiis itaque, quibus muniti, certissime et tutissime procedere possent, aut subsidiis, quibus adjuti, omissa quaerere et recte explorare, ordine meliori omnia disponere, aut totum in justas partes tribuere, vel etiam vitiosa corrigere, obscura explanare, vacua complere, ambigua cernere, vera et falsa dijudicare possent, hisce dico adjumentis et adminiculis vix usi aut minus bene usi sunt, tanquam si tantulum negotium adtendere aut curare minimi foret momenti! Et quamvis illud concedendum beneque tenendum, *veri investigationem rem̃ esse magnae difficultatis, late in diversis disciplinis patentem, arduamque esse in quávis disciplinâ*, attamen ejusmodi sunt disciplinarum mathematicarum indoles et ratio, ut in iis, prae caeteris, cogitandi et cognoscendi legibus parendi easque uniformiter observandi planissimus et amplissimus detur locus.

Quam ob rem inter causas, quibus earundem disciplinarum quamplures partes minus perfectae existant nec latiores sint nec pleniores, illa praecipue notanda videtur, quae originem ducit ex eo, quod norma systematica minus recte adhibita saepiusque dimissa sit. Idque si verum est, eo magis quidem hujus aevi Mathematici ob hunc neglectum reprehendendi sunt, cum antiqui Geometrae sequi illam laudatam rationem vel maxime studuerint, tum vero etiam constanter et perpetuo eâdem utendum esse stricte praeceperint ac paene jusserint. Sed de hâc antiquâ viâ paullatim decessum est. Alii antiqua illa praecepta obsoleta, inelegantiora, et quasi superflua judicarunt; — alii, abusum, — at revera perversum usum, — unice spectantes, inepta eadem parumque proficere nec expedire censuerunt, notionumve et materiei copiâ luxuriantes, liberius agere menti concedendum esse putarunt, ne arctis ejusmodi vinculis, quibus ingenium studio illo systematico constrictum videtur, impediretur. Veram igitur normam ac rationem non servarunt, sequi eam destiterunt, ejusque obliti, cujus perpetuo memores esse debuissent, simul etiam certissimi moderaminis auxilio uti fere in desuetudinem abiit.

Temere autem nisi injuste agere mihi viderer, si omnes, de disciplinis mathematicis optime meritos, pariter ejusdem negligentiae accusarem, quam in multis tantopere reprehendendam censeo. Fuere namque ingenio

acutissimi nominisque famâ celeberrimi viri, qui, quamvis suam de justâ viâ systematicâ, stricte constanterque sequendâ, sententiam verbis expressis haud declararunt, attamen quae elaborarant, invenerant meliusve conformarant, ita quidem pertractarunt et explicarunt, ut neminem fugere potuerit, eos simul etiam justam optimamque pertractandi et investigandi normam systematicam velle docere in animo habuisse. Et multum quidem et plurimum hâc in re praestiterunt; at vero id nimis operam dedisse mihi videntur, ut exemplis praesertim, nisi unice ac de industriâ, et exemplis potius quam praeceptis, docerent, si quidem de justis praeceptis tacuerint, ideoque dare haec praecepta ac tradere, quâ oportuerit ratione, id est enunciare eadem, explicare porro et demonstrare, denique exemplis apte et varie illustrare, eorumque usum docere, plane omiserint.

Alii contra recentiores Mathematici fuere, qui ad hunc defectum, seu ad hoc vitium, attendisse videntur, illudque sublatum iri, ni fallor, opinati sunt, si justam traderent methodum, e dialectices principiis et contemplationibus haustam, deque hujus ipsius partibus fuse et plenissime praeciperent. Praecepta autem tractarunt absque exemplis, nisi ista velitis, quibus, ad sensum explicandum, adque rei rationem declarandam, in scholis utimur. Sed tota argumenta, sed integras partes, juxta praecepta tradita pertractare debuissent, ita ut normae systematicae usus recte cognosceretur, quantique et quam uberrimi fructus ex hoc ipso percipi possunt, penitus intelligeretur ac perspiceretur. Quod autem emendare et perficere studebant, eo quidem minus bene ex laudatissimo consilio et proposito cecidisse videtur, quandoquidem meditata et commentata, psychologicis contemplationibus commixta, in formam doctrinae redegerant, et huic ipsae, methodologiam complectenti, splendidum *Matheseos Philosophiae* nomen dederant, quod tamen nomen multos offendit, aliique, paene deterriti, ita quidem censuerunt, ut argumenti ratio leviter tantummodo foret notanda, vel etiam ut non cognoscere, quam in rei obscurae et, sicut videbatur, a Matheseos studio alienae meditatione, aliquantum temporis consumere, praestaret.

Verum enim vero ne, quod in genere huc usque spectavi, particulariter tantum valere videatur, neve, quam reprehendi negligentiam, tantummodo paucorum praecipiti studio ac incuriae tribuendam esse existimetur, de quibusdam praecipuis praeceptis nimis neglectis, aut de nonnullis locis insignioribus, permulti quos saepius non observarunt aut interdum praeterierunt, breviter dicam aut commemorem oportet. Aut potius, hanc mihi detis veniam, A. A. H. H! ut eorum quaedam breviter tangam, deque hisce pauca fusius quodammodo explicem. Jure namque ac merito quaeri posset, quaenam proprie sint illa rationis principia, quae sequi nimis neglexerint multi Mathematici, aut quam quidem normam systematicam, in disciplinarum mathematicarum argumentis considerandis inque materie tractandâ, saepius dimiserint ac reliquerint, ita ut, si ejusdem perpetuo et diligenter rationem habuissent, has ipsas disciplinas melius constitutas fuisse multoque latius patefactas verisimile sit.

Igitur, quandoquidem a principiis sit ordiendum, haec imprimis firma sint stabiliaque oportet. Notiones rerum itaque sint accuratae, verae ac necessariae earundem notae. Deinde omnium, quae, per notas, similitudinem aliquam habent et cognationem, exacta fiat distributio, ut acute discernatur quae paria sunt quaeque subjecta, aut quibus subjecta et quomodo disponenda. Denique, quae e principiis emanant et efflorescunt, tum etiam quae, ex similitudinis ratione congruenter elici possunt, recte et certo dijudicentur, et singula rite digerantur. Praesertim in his omnibus ad praecepta de veri notis universalibus cognoscendis et distinguendis est attendendum, magnâque curâ et diligentiâ omnis hic locus est considerandus et perpendendus, siquidem totius disciplinae non modo cardo exsistit, verum etiam constituendi magnam saepe habet difficultatem. Quapropter minime mirandum, hanc ipsam difficultatem multorum errorum fuisse et esse posse causam et fontem; sed plures, iique graviores, ex rei incuriâ praeceptorumque neglectu prodierunt.

Etenim, in notionibus constituendis vel definiendis saepissime peccatum esse et erratum, animadvertere possumus, quod ad notarum veritatem et numerum, cum norma illa, — quae definiendi legibus continetur, et in his ipsis clare agnoscitur, — aut minus accurate, aut vix, ac ne vix quidem, adhiberetur, saltem non assidue, utpote praeceptum, constanter

sequendum, consideraretur. Notarum veritati leviter saepius assensum, deque justâ disjunctione interdum paene non cogitatum videtur. Hinc illud vitium frequentissimum, quo, essetne aliqua nota vera aut esse posset, non prius ac non semper inquireretur aut necessario probaretur, quam ad definiendum procederetur. Hinc alterum illud, quo, existeretne notarum absolutio, non satis exploraretur, immo interdum non quaereretur. Ita quidem haud raro necessaria cum fortuitis commixta reperimus, vel etiam fortuita admissa, necessaria exclusa; quod huc propemodum redit, quo falsa pro veris sunt habita.

Et illi errores etiam sunt notandi, in quibus quamplures versatos esse animadvertimus, — alter nimirum, quo definitorum conditiones pro ipsis notis adsumserunt, ideoque illas ab his non distinxerunt, — alter, quo, in definiendis notionibus rerum consimilium aut congruentium, quaeque eidem generi sunt subjectae aut subjici possunt, ad notarum similitudinem aut analogiam prorsus non adtenderunt. Primum vitium est maximum. Re namque definitâ, aliam esse eandem, neque ab hâc differre judicamus, si easdem omnino esse notas necessarias reperimus. Hoc idem autem plerumque est demonstrandum. Si demonstratur est consequentia. At nulla consequentia sine principio, sine eo, quod vocant conditionem. Ergo causam habet pro effectu, qui conditiones in notarum loco ponit, quo quidem nil aptius ad res, prorsus diversas, confundendas. Alterum vitium tam magni momenti non est, attamen defecti nomine notandum opinor. Modus etenim ordoque uniformes sint oportet, quibus, in disciplinae parte magis universali minusve simplici, rerum argumentorumve definitiones prorsus congruant atque concordent cum illis, quibus rerum, in parte speciali aut simpliciori consimilium, notiones declarantur, ita ut hae ipsae prorsus et evidenter illis sint subjectae, uti formae generibus. Qui aliter faciunt, sibi non constant, et disciplinarum melius pertractandarum et amplificandarum negotio male pessimeque consulunt, tum vero etiam studii facilitati et progressui systematico officiunt vel maxime, impediuntque quominus disciplinarum ratio ad veram normam magis magisque accedat. Ita namque paria disjungunt, aut disjuncta retinent quae conjungere oportuerat, quasi vero justum rerum nexum cognoscere aut commonstrare vitant, et ceu recedere volunt aliosque procul remotos tenere

ab illâ optatâ unitatis cognitione, quae a verâ perfectâque cognitione minus minusque distat, quamque ut mente complectamur et habeamus omni ope niti debemus.

Quodsi exemplis comprobare, quae significavi, postularetur, multa quidem in promptu forent, sive adtendimus ad rationem, quâ praecipuae disciplinarum mathematicarum partes pertractatae sunt, sive ad earundem progressuum historiam confugimus. Quae cum consideramus, procul dubio existimare possumus, dictam hujus loci minus exactam aut pravam constitutionem partim quidem non nocuisse, majorem partem autem gravissimorum errorum fontem exstitisse; — ex omnibus item evidentissime patere, normâ systematicâ assidue ac uniformiter utendi negligentiam primariam omnium vitiorum errorumque causam esse habendam. Et mirari profecto debemus, quod illa vitia, de quibus primum monui, tam facile irrepserint, tamque diu quasi invisa et occulta manserint, cum tamen abdite non latuerint. De aliis magis reconditis, et subtiliori ingenii acumine paene cernendis, pariter censeri non potest. Ad haec viri docti, in doctrinae mathematicae studio celeberrimi, animum interdum attenderunt; — de his igitur dubitatum est, — multaque diutius in controversiam adducta sunt, hoc quidem saepius optatissimo eventu, ut, re ipsâ exacte perpensâ, cum verum prosilierit, protinus et aliae cognatae disciplinarum partes emendarentur et clariore luce circumdarentur, quin etiam ex eo latius patefactae et insigniter dilatatae sint. Ergo ex errato verum prodiit, simulque recta investigandi via apparuit. Vel etiam, quoties sic ad verum perveniebatur, toties de justiori pertractandi et pervestigandi ratione, deque praeceptis perpetuo tenendis et observandis, quasi monebatur. Optima attamen Magistra frustra saepenumero docuit.

Ad argumenti partem, quam fusius explicavi, illud etiam pertinet, quod spectat ad principia, id est ad fundamenta doctrinarum, quae disciplinarum mathematicarum partes constituunt, discernenda eligenda et stabilienda. Est haec res summi momenti, at ardua et haud raro difficultatum plena, in quâ bene tractandâ et recte constituendâ multum operae et studii consumserunt doctissimi quique et perspicacitate celeberrimi, eademque vel sagacissimis saepius exstitit palaestra, in quâ ingenii vires exercerent et periclitarentur. Quapropter neque illud est mirandum, multa,

in hâc parte difficillimâ, non modo nondum esse composita aut adaequata, verum etiam multa ambigua incertaque remanere, pluraque, de quibus dissentitur, in controversiâ versari, quae iterum iterumque in certamen adducuntur. Sed testis sit Historia, quid quantumque, hujusmodi nobili certamine, effici possit atque proferri, ita ut permulti inde, nisi plerique illi exoriantur humani ingenii progressus insigniores, in disciplinarum verâ indole ratione et amplitudine perfectius pleniusque cognoscendis, qui, quovis aevo, sunt fontes, prae reliquis conspicui, e quibus lumen quaquaversus splendidissime vergit et longissime emittitur. Et quamvis hâc eâdem in re haud absque errore investigatum, plusque semel de rationis viâ aliquantulum digressum deque normâ deflexum sit, tantum attamen abest ut causam unice in methodi systematicae adhibendae neglectu ponerem, ut potius, quae facta sunt et praestita, eadem comprobanda maximique pretii aestimanda esse contendere deberem.

Est autem aliud quid, ad principia vel ad horum usum respiciens, quod improbandum nisi vituperandum censeo, utpote prorsus ex normae systematicae neglectu originem trahens. Plura nimirum, quam oportuerit, principia, in disciplinarum mathematicarum partium pertractatione et expositione, saepenumero adsumta esse reperimus. Consequentias igitur inter principia positas, aut illas satis acute ab his non esse sejunctas, — fundamenta dicta esse et adhibita, quae ipsa fundamento indigebant, — principiorumque, si plura essent, aptum ordinem non observatum nec servatum esse, immo nonnumquam conturbatum, — de fundamentis denique verbis dilucidis non locutum neque expressum esse aut definitum, quod indicari oportuerat et necessario enunciari. Ne quis autem dicat, vix suspicari posse de doctissimis eruditissimisque viris, quod in istiusmodi vitia incucurrerint, cum haec ita se habere videantur, quae facile vitentur. Etenim etsi alia appareant, alia tam occulta non sint, tamen et multa alia sunt, quae nos offendunt, de quibus non, nisi diligentiori inspectione et consideratione, judicatur recteque discernitur. Insuper, quae irrepserint, aut quibus lapsum est, magnam quamvis partem facile quidem vitari potuissent aut corrigi, at difficilius absque illa normâ systematicâ, id est absque certo illo ordine modoque, quem sequimur si, in pertractando et investigando, ejus numquam immemores simus, ut ad cogitandi leges

8*

cognoscendique praecepta caute et circumspecte attendamus. Quodsi eâ semper duce et adjutrice progressi essent viri docti, sine dubio etiam de principiorum indole ac ratione rectius judicassent. Sic non esse diversa ac disjuncta, quae talia habebantur, — sic multa ad pauciora esse colligenda et componenda, — quin etiam saepius e pluribus, falsò distractis et separatis, unum tantummodo esse certum ac necessarium, aut latissimum omniumque firmissimum fundamentum, apparuisset. Hâc ipsâ namque paucitate ac brevitate, ubi fiere potest, constitutâ, magnopere disciplinarum ratio emendatur, percipiendi et totum universumque conspiciendi facilitas insigniter augetur, investigandique via multo latius aperitur ac recluditur. Quapropter dictam illam normam, veluti disciplinam praescriptam, constanter sequi inter officia necessaria referatur, eâdemque igitur, sicut lege aut moderamine, adstricti simus in investigandis aeque ac in pertractandis et tradendis disciplinarum mathematicarum argumentis. Et ab eâ si saepius disceditur, quis est qui non intelligat concedatque, veram rerum indolem haud cognosci, aut cognoscendi rationem maxime impediri posse, justumque progressum etiam atque etiam retardari.

Locus de divisione et de partitione cum illo de definitione ac de principiorum constitutione tam arcte cohaeret, ut sejungi ab hoc vix possit. Ille namque hujus adminiculum necessarium est, et hunc prorsus defendit. Quam ob rem in illo minus erratum fuisse, aut veram viam sequi rarius fuisse neglectum, cum id ipsum in hoc saepe incautius locum habuerit, maximopere foret mirandum. Ex justâ namque notionum divisione argumentorumque in numeros partitione, infirmae cognoscendi facultati illa firmissima adjumenta adferri validissimaque praesidia suppeditari debent, quibus cogitata et contemplata apte disponuntur exacteque digeruntur, quibusve eorum nexus perspicitur partesque obscurae collustrantur, aut vitiosa corriguntur et vacua complentur, — denique, quibus, ex omnium verâ cognitione affinitate et absolutione melius intellectâ penitiusque perspectâ, praecipuae partes ita inter sese connectuntur, ut inde et vera unitas, exoptataque plenitudo et universitas, una cum maximâ totius simplicitate, coöriantur. Primum igitur, juxta dividendi et partiendi praecepta, earum rerum, quae disciplinae parte quâdam continentur, exactam et distributam expositionem accipere studeamus oportet, quâ ejusdem partis

argumenta aperiamus. Deinde ad paucitatem et absolutionem constituendam imprimis attendamus. Et in hisce omnibus magna et insignis est rationis systematicae vis et efficacia.

Attamen non negandum, hoc ipsum perquam difficile esse posse, praesertim si agitur de argumentis argumentorumque partibus, paene inchoatis, aut leviter tantummodo contactis et pertractatis, eoque magis de novis aut nondum contemplatis. Haud raro namque rerum notae latent; et formas ex individuis et ordines et genera e formis componere, aut vicissim has ex illis cognoscere acuteque distinguere, — alia, quae desunt, adjungere, — nondumque reperta invenire, — aut ordinem perversum et turbatum animadvertere aptiusque disponendo corrigere, — caeteraque hujusmodi, arduum saepenumero est, nec absque multo labore et tempore comsumto, meditationibusque novatis ac iteratis, aut non sine conjunctis multorum conaminibus, adauctâ interim rerum cognitione, tandem obtinetur. Sed hanc eandem nec aliam esse viam, in quâvis disciplinâ emendandâ perficiendâ et amplificandâ, quis ignorat? Quapropter eo magis persuasum habeamus oportet, ne umquam ad cognoscendi praecepta attendere cessemus, assidueque illâ, quam laudare velim, normâ systematicâ nosmet ipsos adstringamus. Etenim hâc ipsâ exacte constanterque, non ab uno, sed, omnium consensu, a quovis docto adhibitâ, de doctrinarum magis perfectâ ratione et amplificatione multo melius erit sperandum. Et hâc in re si mathematici magis et semper vigilassent, profecto suis disciplinis prudentius consuluissent, nec adeo tractandi justae methodo studioque rectissimo offecissent. Hoc idem exemplis probare perfacile foret. Quae si, ut alia praeteream, e Geometriae argumentorum pertractatione et investigatione, ex Analyseos, sublimioris quam vocant, partium expositione et explicatione, aut e Mechanices doctrinae praecipuis contemplationibus depromerem aut mutuarer, passim et evidenter apparere posset, ipsas emendandi et expoliendi difficultates, tum vero eas, quae in digerendo et conformando, in aperiundo et exaedificando obviae sunt, vel absque ampliori et perfectiori cognitione, tantas numquam fuisse, si de dividendi et partiendi praeceptis accuratius et magis de industriâ observandis assidue cogitatum fuisset. Sed etiam ejusmodi negligentia vehementer nos offendit in nonnullorum mathematicorum libris, ad docendum conscriptis. Justae

namque divisionis partitionisque curam vix ullam interdum egerunt, ita ut separanda aut male aut ne sejunxerint quidem, dissolvenda aut concluserint aut non explicaverint, distrahenda congesserint, individua aut non segreganda dispertiverint et disjunxerint, diffusa et dissipata ad genera non coëgerint, coërcenda aut ad paucissima, nisi ad unum, colligenda disposuerint, aut ultra justos terminos digesserint, itemque loca vacua, haud difficile reperiunda, non commonstraverint nec compleverint, denique nondum plena tanquam clausa et absoluta considerarint. Quod quantum disciplinarum rectissimo studio nocet, ideoque obstat quominus perficiantur et amplificentur, quis est qui dubitet? Sed hoc ipsum eo magis maximeque est dolendum, quandoquidem hujusmodi vitia, systematicae pertractandi et tradendi rationi neglectae potius, quam rerum cognitioni minus adaequatae, tribuenda esse videntur.

Huc usque eorum quaedam consideravi, in quibus offenderunt et erraverunt Mathematici, neglectâ systematicâ pertractandi et investigandi ratione. Sed alia sunt hujus methodi praecepta, ad quae recte eodemque semper modo et assidue attendere nimis neglexerunt, aut quae spectare plurimum non cogitarunt. Et hîc quidem praesertim Inductionem et Analogiam cogitetis velim A. A. H. H! e quarum justo et systematico usu, quot quantaque praeclara, et in disciplinis amplificandis utilissima, prosilire possunt ac hauriri, mecum, quaeso, paullisper reputetis, aut vos in hujus gravissimae rei memoriam revocem concedere velitis. Jamque magna est Inductionis et Analogiae vis in ipsâ, de quâ locutus sum, divisione et partitione constituendâ, sed in disciplinarum partibus perficiendis et absolvendis fontes praebent uberrimos, in spatia, latissime patentia, fructuosissimos redundantes, e quibus tamen caute et omni circumspectione est hauriendum. Temere namque si inductione et analogiâ utimur, — etiamsi non absit cognitum et probabile fundamentum, — magnus metus est ne speciem pro vero adsumamus, itaque ab opinione descendamus ad conjecturas infirmas, et in harum labyrinthis oberremus. At vero si omni, quâ oportet, cautione adhibentur, — si de veri falsique notis, de simili,

de affini deque disparato, — de apparente de probabili deque necessario, — de conjungendi ac de connectendi modis, qui esse aut existere possunt, — de hypothesium justis legibus, — de reliquis, si quae sunt, — recte acuteque judicetur, ex ipsis habemus ea, quibus vires augentur validaque subsidia aut adjumenta suppeditantur ad verum inveniendum, ad novas res novasque partes, ex similitudine et proportione et affinitate, — id est e specie comparabili aut ex conferendâ atque adsimilandâ indole vel materie, — detegendas, — ad intervalla complenda, — ad conjungenda, quae disparia videbantur, — ad recte absolvenda, quae plena nondum erant nec tota, sive ad fastigia usque nondum exaedificata.

Et quamvis Inductionis et Analogiae usus praesertim ad argumentandi rationem probabilem pertinere videatur, tamen in necessariâ argumentatione etiam valet. Sed imprimis notanda sunt, quot quantaque, ex Analogiae usu cauto ac prudenti, in disciplinas mathematicas redundare possunt. Inservit namque egregie, interdum unice, cum ad res causasque recludendas, tum ad incognita et quaesita invenienda, tum ad formas ex individuis componendas generaque e formis, aut potius ad partes singulares, quae a se invicem distare dissimilesque et absque vinculo exsistere videbantur, colligendas, et unâ eâdemque latiori contemplatione comprehendendas, itaque, quod maximi est momenti, ad universalia e particularibus constituenda e conjectatâ vereque repertâ similitudine; — porro etiam ad novas prorsus notiones, alioquin incognitas et reconditas nec suspicatas, quasi e plenissimis fontibus hauriendas; — denique ad res illasque partes, quae adhuc abesse totoque deesse videbantur, sponte quasi vel facile suppeditandas. Et ex hoc ipso, quod postremo loco dixi, animadvertere liceat, per analogiam, ubi adhiberi potest, saepissime offerri ac praeberi invenienda, — docere eam igitur, et quasi cogere, ut inveniamus, aut cognitorum modum rationemque perficiamus, aut inchoata omnibus numeris compleamus et absolvamus, itaque ut e partibus dispersis et distractis, discordantes quae apparebant, totum conficiamus, concinne pulchreque modulatum.

An igitur Mathematici ad Inductionis et Analogiae usum, — perfectae nimirum si sint, dumque incertum non sit quatenus valere possunt ac admitti, — an igitur ad harum usum insignem non attenderunt, illumve

repudiarunt, aut omnino neglexerunt, cum tamen omnes per inductionem atque ex analogiâ saepissime judicemus non modo, at potius cum neminem quidem doctum latere possit, quanta sit earum in vero indagando utilitas? Ne hoc quidem contendo, nec unquam contendere possem, A. A. H. H! Sed usum systematicum prorsus propemodum neglectum esse reprehendo. Etenim non interdum hoc investigandi auxilio est utendum, nec passim, nec ullo praecepto cogente, ubi sponte offertur, sed haud interrupte, sed assidue ad illud attendamus oportet, tanquam ad disciplinae praescriptae partem necessariam, quam observare, legis instar cuique obedire debemus. Tum vero, per ejusmodi methodi usum haud mutatum et continuatum, illam demum, in disciplinarum partibus, rationis conformationisque unitatem agnoscere poterimus, quam saepius jam laudavi, et quâ omnis nostra cognitio propius proximeque ad veram scientiam adpropinquat acceditque. Idque, quod ad ea, quae per analogiam prodire et inveniri possunt, haud difficile foret exemplis probare, e celeberrimorum mathematicorum investigationibus praeclarissimis. Iis profecto luculenter appareret, quamplures disciplinae mathematicae partes, exiguas primum et exiles, mox, ex justâ similitudinis et affinitatis consideratione, insigniter esse accretas et amplificatas, subitoque fere et numero et materie, ambituque et absolutione, reclusas esse et latissime patefactas, unde universales illae contemplandi rationes originem duxerunt, maxima quibus disciplinae ipsae cepere nova incrementa, et quae celerioris motûs progressionisque causae exstiterunt celeberrimae, prae omnibus aliis imprimis notandae.

Sufficiant, quae dicta sunt, ut persuasum habeamus, viam vagam tandem esse relinquendam, unicamque veram et certam, systematicâ prorsus ratione, ingrediendam esse et sequendam. Sed quaeri potest de causis, cur Mathematicorum celebrium permulti hanc veram et antiquam naturalemque rationem magnam partem omiserint, aut ejusdem praecepta assidue observare minus curarint? Etenim nonnullas etsi jam supra indicavi negligentiae causas, tamen de aliis quibusdam monendum restat, una autem inter quas praecipua mihi videtur.

Et primum quidem illud non praetervideamus, principum in disciplinarum studio et cultu virorum auctoritate fretos, in eorundem quoque erroribus nos versari et perseverare. Sed cur tandem ipsi illi viri principes tam negligentes fuerunt, tantoque officio cessarunt? Alios, de rationis systematicae stricte assidueque adhibendae utilitate persuasos, et usum laudare ac docere diligentissime persequentes, ipsas negligentiae causas percepisse supra jam monui, cum aut exempla praebuerint absque praeceptis, aut praeceperint, nec tamen praeceptorum usum monstrarint aut declararint. Sed alii fuere, qui omni curâ laudatam rationem sequi et adhibere studebant, eâdem autem omnino abusi sunt, cum ultra justos terminos progrederentur. Ex ejusmodi nimiâ curâ multos errores, saltem haud raro obscuriora multa et confusa prodiisse, facile intelligitur. Eruditiores igitur nonnulli et sagaciores, tenebris potius circumvelari opinantes quam luce clariori illustrari, quae, normâ systematicâ adjutrice, tradebantur aut tractabantur, simulque libero ingeniorum motu et citius et certius ad veritatem se pervenire reperientes, hoc ipsum quam vinculis istis cohiberi atque constringi maluerunt, ideoque normam praescriptam deserendam putarunt.

Porro praecipuam causam agnoscere mihi videor in ipsarum, quas a doctissimis et in disciplinâ mathematicâ peritissimis habemus, universalium investigandi et contemplandi rationum vel methodorum nimio usu. Hic ipse usus, magnam partem etsi insignioris progressionis causa exstiterit, maximeque propterea laudandus et commendandus, tamen si nimis illi indulgetur, metus est, ne justam normam adhibere desuescamus aut negligamus, praetereundo nimirum minus universalia, inque singulis considerandis non satis diu ac paene non morando. Re quidem verâ universalium cognitio maxime et praeprimis est expetenda et adsequenda, at vero particularium et singularium pervestigatio studiumque minime negligendum. Pertinet namque horum notitia ad cognitionem absolvendam, ad illam universaliorem perficiendam, immo haud raro ad eam constituendam et stabiliendam. Moderanda tamen etiam, in hoc ipso negotio, nimia industria, ne plus quam par est imitando consectemur veteres Mathematicos, in individuorum indolem potissimum inquirentes. Effingamus et sumamus potius quae Cartesio, novum quondam lumen admoventi,

debemus, nec minus Leibnitzio, in omni fere doctrinae genere superiori et praecellenti, itemque sagacissimo Hugenio nostro, summoque Newtoni, aut unico Eulero illo, aliisque multis viris celeberrimis, qui quidem et in eo magni erant, quod non modo inveniendi vias multifariam latiores et loca patentiora monstrabant, universalesque contemplandi et pervestigandi modos detegebant, et ex altiori statione speculari vel conspicere docebant, verum etiam pristinam veteremque semitam calcare et ire non spernebant, et nequaquam deserere eam jubebant.

Praesertim autem, ne, quod prius enunciavi, quodammodo declarare omittam, normam systematicam non assidue tum vero negligenter aut male adhibitam et denique paene relictam esse censeo, propter usum frequentissimum illius investigandi et tradendi aut exponendi rationis, Analyseos nomine conspicuae, et ab illâ Methodo, quam in Dialecticâ analyticam vocant, omnino distinguendae. Praebet illa ratio optima inveniendi subsidia, indagandi praesidia validissima, et creandi eximia adjumenta, quibus quamplurium notionum judiciorumque nexus et vinculum brevi compendio aptissime repraesentatur, ita ut eorum indoles ac ratio accuratissime percipiantur, aliaque multa et nova, e perceptis allata et adfluxa, absque magnâ animi contentione, deducantur et inveniantur. Et quamvis in hoc cursu difficillima quaeque obvia esse possunt, maximeque progressum impedire, eademque ut dimoveantur quamvis subtili interdum arte opus sit magnâque solertiâ, tamen et saepius viam stratam ingredimur. Sed percipiendi illa celeritas, conspiciendi et perspiciendi facilitas, investigandique commoditas, sed eadem notionum judiciorumque copia largissima, abunde affluens et praeter modum redundans, quâ obruimur et luxuriamur, causae existunt aut esse possunt, cur in rerum aequâ contemplatione et revocatâ meditatione non satis diu moremur, at temere potius pergere festinemus. Ita autem cum inventa et detecta seorsim spectare et considerare, eademque magis aperire, expolire et absolvere abstinemus, aut conferre eadem inter sese, connectere apteque disponere et complere non curamus, simul etiam de normâ systematicâ decedimus, assidue eam adhibere desuescimus, eâdemque recte uti tandem negligimus. Profecto, quae tali modo praetereuntur nec conspiciuntur, jacere adeo et inexplorata aut inelaborata manere non passi essent praeteriti aevi Mathematici, qui,

tam validis auxiliis non adjuti, nec tantis adminiculis subnixi, minori rerum abundantiâ diligentiores fortasse et circumspectiores erant, proptereaque meditando diu, remque saepius et crebre vertendo, longius interdum morari ac haerere propiusque intueri, et ad normam assidue magis exigere, consuetissimi.

Quam ob rem, hoc idem persequi non modo, verum normae systematicae bene et assidue adhibendae omnem operam dare studeant hujus aevi docti. Quod tamen ita intelligi nolim, quasi vincula et liberioris motûs impedimenta vellem, quibus ingeniorum cursus retardaretur. Et qui posset quidem, id vincire velle et cohibere, quod in disciplinarum studio libere omnino et quaquaversus et celerrime movere se posse tendit adpetitque? Sed viâ ac ratione magis fiat velim, sed justo moderamine uti magis adtendatur, sed facultatis illius inventricis cursus ac progressus juxta rationis principia ac praecepta de industriâ magis regatur, ipsaque inventa educta et patefacta aut confecta et elaborata, eâdem illa normâ, ad instar aurificis staterae adhibitâ, accuratius cautiusque examinentur, fiatque plus quam solet, fiatque assidue et constanter. *Ne igitur nimis duras leges imponere videar, verum ad id, quod consequi optamus, adipiscendum, profecto necessarias.* Etenim inter illa ipsa, quae praecellentissimorum ingeniorum summi viri, quos quodvis fert aevum, praestiterint et effecerint, si multa reperimus, quae per anfractum, tentando saepius, diuque et longe obeundo et quaerendo, invenerunt et absolverunt, quae autem citius indagassent, meliusque constituissent et aptius conformassent, si in normâ systematicâ assidue adhibendâ omnem curam collocassent, quanto magis hoc ipsum universe vel maxime commendandum est iis omnibus, quos omni ope niti decet, ut mediocris ingenii facultatibus quantum fieri possit valeant ac proficiant? Insuper, cum consideramus, disciplinarum varias partes quam late patent, ita ut singulas obire eas et peragrare perquam difficile sit, temporique etiam atque etiam esse parcendum, quaestio oritur, quibus tandem firmioribus subsidiis et adminiculis adjuvari et suffulciri possimus, ut certius progrediamur citiusque remotiora adtingamus, eâ quidem spe, ut in aetatis flore, viribus integerrimis cum vigemus, et ingenii acumine

cum plurimum valemus, disciplinarum studio et perfectioni et amplificationi maximam operam navare queamus? Et ejusmodi auxilium si petimus, quid quidem moderatrice ac duce certâ fidâque nobis optabilius? At talem ducem sola praebet animi mens suâ cogitandi et investigandi justâ ratione; quâ si bene prudenterque semper utimur, ejusdemque praecepta si tenemus stricteque semper et severe sequimur, nullis quidem vinculis constringimur, nec velut aliquo carcere includimur, ex quo egredi impedimur, sed verâ munitâque ducimur viâ, quâ, normâ certâ, omnia systematice examinare, et quasi ad disciplinae praecepta perpendere docemur et adsuefimus. Et hâc ipsâ duce uti ne optemus non modo, verum etiam ab eâ numquam decedamus; adsit perpetuo diligentissime curemus; — consulere eam assidue et interrogare numquam obliviscamur. Tum vero, si omnes conjunctim similiterque efficere et operam impendere student, nullo modo erit dubitandum, posse nos facere, quod debet oportetque, ad summum illud adipiscendum, videlicet ut cognitio nostra fiat et firmior et amplior et perfectior. Tantum etenim abest ut disciplinarum campum illum fertilem, quem felicissime coluere praeteritorum saeculorum Mathematici, et ex quo tanti fructus uberrimi redundarunt, exaratum et paene exhaustum opinaremur, ut fructus non modo novos ferre possit in longum aevum, sed potius ut nunc demum instructi simus et parati iis omnibus subsidiis adjumentisque, quae postulari possunt ad novos fontes detegendos et aperiundos, ad occulta abditaque indaganda et patefacienda, ad subtiliora animadvertenda, verbo, ad id agendum elaborandum et efficiendum, quo de sedulo nostro labore, de curis perpetuis, deque laudabili, si bene modereris, disciplinarum perficiendarum et amplificandarum studio, optima quaeque sperari possint vereque exspectari.

ACTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

A.1852.

Die 10 Maji. Senatus luget obitum Viri Clarissimi M. J. MACQUELYN, in Fac. Med. Professoris emeriti.

Die 14 Junii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi G. L. MAHNE, Professoris in Fac. Phil. theor. et Lit. hum. emeriti.

Die 12 Novembris. Senatus luget obitum Viri Clarissimi J. C. B. BERNARD, Medicinae Professoris quondam in Acad. Lugd.-Bat. ordinarii.

A. 1853.

Die 10 Januarii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi plurimumque Venerandi J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., in Fac. Theol. Professoris ordinarii.

Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum academicum eligat Rectorem Magnificum, Viros Clarissimos:

T. G. J. Juynboll,
F. G. Krieger,
S. Vissering,
J. H. Scholten.

Candidati, e quibus Actuarius creatur, designati sunt Viri Clarissimi

G. J. Verdam,
T. G. J. Juynboll,
J. de Wal,
A. E. Simon Thomas.

Die 2 Februarii. Lectae sunt literae Curatorum, quibus Senatui nunciant luctuosissimum obitum Viri Nobilissimi et Amplissimi H. J. Baronis van Doorn van Westkapelle.

Aliae recitantur literae Curatorum, adferentes Decretum regium d. 30 Decembris a. 1852, quo Vir Doctissimus et plurimum Venerandus Antonius Niermeyer, Theologiae Doctor et Ecclesiae reformatae Pastor, Professor creatur in Fac. Theol. Ordinarius, munus vero Professoris Extraordinarii, in eâdem Facultate, confertur in Virum Doctissimum Abrahamum Kuenen, Theologiae Doctorem et Interpretis Legati Warneriani Adjutorem.

Recitatur Regis decretum diei 26 m. Januarii a. 1853, quo Academiae Rector Magnificus in proximum annum creatur Vir Clarissimus Theodorus Guilielmus Joannes Juynboll.

Rectori futuro Assessores constituuntur Viri Clarissimi

H. Halbertsma, Just. Fil.,
H. Cock,
N. C. Kist,
F. Kaiser.

Senatus honoris causâ summos in Phil. theor. et Lit. hum. honores contulit in Viros Doctissimos Abrahamum Kuenen, Theologiae Doctorem et Interpretis Legati Warneriani Adjutorem, et Guilielmum Wright, e Civitate *St. Andrews* Scotum.

Die 8 Februarii. Rector ad Senatum refert, in conventu Curatorum cum Rectore et Assessoribus e Candidatis designatis Actuarium creatum esse V. Cl. G. J. Verdam.

Rector Magnificus cum Senatu ceterisque Professoribus in Auditorium majus descendit. Actuarius recitat pro concione Regis decretum de Rectore in annum sequentem creato, Assessores novo Rectori additos, et Senatûs academici Actuarium commemorat.

Rector, adscendâ cathedrâ, *quae, anno praeterlapso, Academiae prospera evenerunt tristiaque et lugenda acciderunt,* commemoravit. Deinde solennibus verbis deposito Magistratu, e cathedrâ descendit en in subsellia redit.

Novum Rectorem Magnificum Professores in Senaculum deduxerunt et salutaverunt.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1852.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. J. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis, ... horâ X.
et die Veneris, ... IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Mercurii et Veneris, ... VIII.
Scholas Paedagogicas habebit, die Martis aut Jovis, horâ commodâ.
Lectiones de Calculo Integrali, itemque de Mechanicâ, continuabit, datâ opportunitate.

C. G. C. REINWARDT Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. VAN DER HOEVEN Zoölogiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... XI.
Entomologiam docebit, die Veneris, ... XI.
Mineralogiae et Geologiae Elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... II.
Historiam naturalem popularem vernaculo sermone docebit, diebus Martis et Jovis, ... I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus, XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis, . . . horâ XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum studiosis provectioribus de Physiologiâ chymicâ colloquetur, die Veneris, horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet, diebus Lunae et Jovis, horâ vespertinâ . . . . V.
Post ferias paschales autem horâ quadam matutinâ, auditoribus commodâ.
Theoriam motus corporum coelestium, et disquisitiones selectas de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis commentabitur.
Arithmeticam universalem, sive Algebram, tradet, diebus Martis, Jovis et Veneris, ... II.
Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

G. H. DE VRIESE, Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore, singulis diebus, ... I.
Plantarum indigenarum et medicâ virtute praeditarum historiam illustrabit, verno et aestivo tempore, diebus iisdem, ... VII.
Physiologiam plantarum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... I.
Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus, . . II.
Excursionibus botanicis praeërit, die Saturni, aptâ tempestate.
Historiam plantarum, medicâ virtute praeditarum, et pharmacognosin regni vegetabilis et animalis, duce Pharmacopoeâ Neerlandicâ, futuris pharmaceutis tradet, horis commodis.

P. L. Rijke, Prof. extraord., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ... horâ XII.

De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Martis, ... X.

Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris, VIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. Siegenbeek, propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake interpretabitur Livii lib. XXXIV et XXXV; item Ciceronis *Orat. Pro Murena*, et dijudicabit Virorum doctorum controversiam de *Catilinariis*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.

Ex *Antiquitatibus Atticis* selecta capita tractabit, die Lunae, I et II.

Scholas Paedagogicas habebit, die Mercurii, ... I et II.

J. M. Schrant Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.

Praecipuas styli sive Eloquentiae regulas, a se editas, interpretabitur, probatis auctoribus, imprimis Hooftio, illustrandas, et exercitiis applicandas, Eloquentiae exterioris praeceptis atque exercitationibus adjectis, diebus Jovis et Veneris, ... II.

et die Saturni, ... X.

E Scriptoribus Neêrl. mediae aetatis selectos locos, a se editos, explicare perget, die Saturni, ... XI.

Taciti *Germaniam* interpretabitur, diebus Lunae et Martis, III.

Sacrae Eloquentiae historiam criticam tradet, diebus Mercurii et Jovis, ... III.

A. Rutgers Michae *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX.

et die Mercurii, ... VIII.

Primum Regum Librum cursoriâ lectione tractare perget,
die Martis, ... horâ I.
et die Jovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis
et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam, a Cl. Lasseno editam, explicare perget, diebus
Lunae et Jovis, ... I—II.

T. G. J. Juynboll Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis,
diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.
Literarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. Roorda, Winero, Uhlemanno),
diebus Jovis, Veneris et Saturni, ... VIII.
Cum provectioribus leget Al-Bayāno'l-Mogrib, ex ed. Cl.
Dozyi, die Martis, ... II.
Et Hamāsae Carmina cum Tibrīzīi Commentario, die Veneris, XII—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhāwiani, die Jovis, V—VII.
Chronicon Syriacum Bar-Hebraei, die Jovis, ... II.

J. H. Stuffken Logicam tradet, diebus Jovis et Saturni, . . . IX.
et die Veneris, ... XI.
Metaphysicam docebit, die Martis et Mercurii, ... X.
Historiam Philosophiae explicabit, diebus Lunae et Jovis, II.
Paedagogicam exponet, diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. Cobet Interpretabitur Herodotum, Thucydidem et Xenophontem, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et
Mercurii, ... XII.
Locos Selectos ex Scriptoribus Graecis et Latinis, antiquitatem Romanam illustrantes, interpretabitur, die Jovis, XII.
Scholas Paedagogicas habebit, diebus Martis et Jovis, . . II.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris, I.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit,
diebus Veneris et Saturni, ... IX—XI.

Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis, ... horâ XI.
R. P. A. Dozy, Prof. Extr., Historiam Universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Locos historicos difficiliores et varia historiae literariae capita tractabit, diebus Jovis et Veneris, ... XII.

FACULTAS MEDICA.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie, ... XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis, ... I.
G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Jovis, ... XII.
et die Saturni, ... IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... IX.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Jovis, ... IX.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis, ... X.
F. W. Krieger Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... VIII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, . . . XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ... XII—III.
Operationes Chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam, demonstrabit, horis dein indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, . . . X—XII.
Medicinam Forensem, diebus Lunae et Jovis, ... I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris, . . IX.

A. E. SIMON THOMAS, Prof. Extraord., Theoriam Artis Obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni, ... horâ VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie, ... IX.
Doctrinam operationum tradet, et operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitiâ, tum in cadavere instituendis, praeërit, die Mercurii, ... I.
Gynaecologiae et gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Veneris, ... I.
Praxin Obstetriciam, tum in Nosocomio Academico, tum in Policlinico Obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

H. HALBERTSMA, JUST. FIL., Prof. Extraord., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ... X.
Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus, ... IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . XI—III.

F. W. KRIEGER et H. HALBERTSMA disputandi exercitiis publicis praeërunt, die Martis . . . . II.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN, Emeritatum nactus et cessans a praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. J. VAN ASSEN interpretabitur Digestorum locos selectos, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
JUSTINIANI Institutionum Libros IV cum THEOPHILI paraphrasi, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Jus Civile Hodiernum, secundum compendium a se editum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam, die Jovis, IX—XI.
et die Veneris, cum exercitationibus forensibus, . . . X.

H. Cock tradet Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ IX.
et die Jovis, ... XI.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, X.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

J. de Wal explicabit Encyclopaediam et Methodologiam Juris, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Historiam Juris Romani enarrabit, iisdem diebus, ... I.
Jus Mercatorium exponet, die Jovis, ... XII.
et die Veneris, ... XI et XII.

S. Vissering Statisticam patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... I.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... II.
Oeconomiam politicam, die Jovis, ... I et II.
et die Veneris, ... I et II.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel, provectae aetatis causâ rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris, VI sqq.

N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis recentiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet historicam et theoreticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, . . XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris, ... XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis, ... XI.
Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni, ... II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis, ... II.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris, ... horâ IX.

Epistolam ad Hebraeos interpretabitur, diebus Lunae et Veneris, ... X.

Institutionem Oratoris S. tradet, diebus Martis et Mercurii, X.

Encyclopaediam theologicam exponet, die Jovis, ... X.
et alia horâ auditoribus commodâ.

J. H. SCHOLTEN Euangelium JOHANNIS et PAULI epistolam ad Corinthios priorem interpretabitur, diebus Martis et Jovis, . XI.
et die Mercurii, ... I.

Theologiae naturalis sive Philosophiae de Deo historiam recentiorem enarrabit, diebus Jovis et Veneris, ... I.

Librorum N. F. historiam tradet, diebus Lunae et Martis, I.

Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii, ... II.

Publice disputandi exercitationibus praeërunt, alternis hebdomadibus, die Jovis, horâ II, alternatim J. F. VAN OORDT, J. G. FIL. et J. H. SCHOLTEN.

*** Vacanti quartae in Theologicâ Facultate cathedrae ubi prospectum erit, ad valvas Academiae indicabitur, cuinam professio sit delata, et quas novus Professor scholas habiturus sit.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, quae Auditoribus convenient.

J. A. BOOGAARD, M. Doct., Prosector, Anatomiam pathologicam tradet, die Jovis, ... II—IV.

Anatomiam generalem exponet, et aptum Microscopii in ea colendâ usum indicabit; die Veneris, ... II—IV.

C. A. X. G. F. Sicherer, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum poetarum Germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia poeseos genera explicet auditoribus.

Si qui sint, qui, linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiunt, iis quoque lubentissime vacabit.

C. G. Lokkers, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1852.

E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LIT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	CUNCTUS NUMERUS.
14	23	82	204	115	438

Praeterea in Album academicum nomina studiosorum, in diversis Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hîc examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in	Facultate	Phil. theor. et Lit. hum.	13.
"	"	Medicâ	32.
"	"	Juridicâ	49.
"	"	Theologicâ	38.
			132.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE 9 M. FEBRUARII 1852 AD DIEM 8 M. FEBRUARII 1853.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

d. 19 Junii. LEONARDUS ALEXANDER JOANNES BURGERSDYK, e pago Alphen Batavus, *publice* defenso Specimine, continente *Annotationes de quibusdam crustaceis indigenis*, Matheseos Magister et Philosophiae naturalis Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 26 Junii. PETRUS GISBERTUS VAN ANROOY, Zaltboemeliensis, defensâ Dissertatione chymicâ, *de Incrustatione in Lacu Rakaniensi*, Matheseos Magister et Philosophiae naturalis Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 2 Oct. JOANNES ABRAHAMUS CHRISTIANUS OUDEMANS, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione, exhibente *Observationes, ope instrumenti transitorii portabilis institutas*, Matheseos Magister et Philosophiae naturalis Doctor, *magnâ cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

d. 11 Junii. JANUS GUILIELMUS GERBRANDUS VAN OORDT, Rheno-Trajectinus, publice defenso Specimine historico, continente *Observationes Chronologicas in* HERODOTI *et* THUCYDIDIS *locos nonnullos*, Philosophiae theoreticae Magister et Literarum humaniorum Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 29 Junii. CHRISTIANUS JANUS DE LUSSANET DE LA SABLONIÈRE, Haganus, defenso Specimine *de* CLEONE *Demagogo*, Philosophiae theoreticae Magister et Literarum humaniorum Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

d. 28 Februarii. FRANCISCUS RIENDERHOFF, Enchusanus, defensâ *publice* Dissertatione *de Venesectionis utilitate in Pneumoniâ genuinâ*, Medicinae Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 18 Martii. JACOBUS EWALDUS CORNELIUS VAN CAMPEN, Lugdunobatavus, Med. et Art. Obst. Dr., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

d. 30 Martii. HENRICUS DE JONG, CORN. FIL., Goudanus, Med. Dr., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

d. 11 Junii. ADRIANUS MARINUS BALLOT, Roterodamensis, Med. Dr., defensis Thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

d. 16 Junii. JOANNES ZACHARIAS HERMAN, e Promontorio bonae spei, defensâ Dissertatione *de Carcinomate*, Medicinae Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 18 Junii. EUGENIUS WYNANS, Mosae-Trajectinus, Med. Dr., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

d. 21 Junii. PETRUS ROVERIUS VAN MIERLO, Bredanus, defensâ Dissertatione, continente *aliquot Observationes chirurgicas*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

d. 23 Junii. EUGENIUS WYNANS, Mosae-Trajectinus, Med. et Chir. Dr., defensis Thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

d. 23 Sept. MARTINUS CORNELIUS KLEP, Bredanus, defensâ Dissertatione, continente *duas Observationes chirurgicas*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

d. 29 Sept. PETRUS ROVERIUS VAN MIERLO, Bredanus, Med. Dr., defensis Thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

d. 4 Nov. FRANCISCUS RIENDERHOFF, Enchusanus, Med. Dr., defensis Thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

d. 15 Dec. NICOLAUS DE KEYZER, Lugduno-batavus, defensâ Dissertatione, continente *quaedam de differentiâ in Partûs decursu inter primiparas et multiparas*, Medicinae Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 21 Dec. GUILIELMUS JOSEPHUS KRIBS, Sittardiensis, defenso Specimine *de Membranâ, quae dicitur decidua Hunteri*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

d. 29 Jan. 1853. Adrianus Marinus Ballot, Roterodamensis, Med. et Art. Obst. Dr., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

d. 31 Jan. Arius de Boer Vervoorn, e pago Herwijnen Gelrus, Med. et Art. Obst. Dr., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

d. 31 Jan. Bernardus Boks, e pago Beekbergen Gelrus, *publice* defensâ Dissertatione *de Hydrocephalo chronico*, Medicinae Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 1 Febr. Petrus Hartenroth, Brielanus, *publice* defensâ Dissertatione *de Dysphagiae causis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

d. 1 Febr. Hillenius Bruins Lich, e pago Oud-Pekelaa Groninganus, *publice* defenso Specimine, continente *Observationes Rheumatismi acuti*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 16 Febr. Matthias Antonius Kluppel, Alcmariensis, defensis Thesibus, Juris Romani et Hodierni Doctor.

d. 19 Apr. Joannes Carolus de Jonge, Haganus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 14 Maji. Adrianus Janus Hoekwater, Delphensis, defenso Specimine *de Tutore honorario et de Tutore subrogato*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 24 Maji. Nicolaus Stephanus Theodorus Antonius van Meurs, Doetinchemensis, defenso Specimine *de Vitae honestae et inhonestae efficacitate in Jure neërlando*, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 3 Junii. Henricus Jacometti, Antverpiensis, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 4 Junii. Henricus ter Kuile, Almeloënsis, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 16 Junii. Jacobus Tielenius Kruythoff, Bevervicensis, defensâ Dissertatione *ad Art. XIV Legis, generalia continentis praecepta*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 18 Junii. Eilardus Attema, Leovardiensis, defenso Specimine *de interrogationibus in Jure faciundis*, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 24 Junii. Abrahamus da Costa, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Pace Rysvicensi*, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 26 Junii. Rutgerus Veldwyk, e pago Odyk Batavus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 29 Junii. Henricus Beth, ex Insulâ Javâ, *publice* defenso Specimine, continente *Quaestiones Juridicas*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 30 Junii. Sol Cohen Henriquez, ex Insulâ Curaçao, *publice* defenso Specimine, exhibente *Quaestionem Juridicam*, J. R. et H. Doctor.

d. 1 Julii. Eduardus van den Bosch, Haganus, defensâ Dissertatione *de Sanctitate Legatorum*, Juris Romani Doctor.

d. 3 Julii. Adrianus Justus Enschedé, Harlemensis, defensâ Dissertatione *de* Proculo *Jurisconsulto*, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 3 Julii. Focco Bernardus Coninck Liefsting, e pago Hellendoorn Transisalanus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 13 Sept. Samuel Cornelius Janus Guilielmus van Musschenbroek, Haganus, defensâ Dissertatione *de Venditione rerum immobilium*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 29 Sept. Henricus Abrahamus Cornelius de la Bassecour Caen, Haganus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 23 Oct. Janus Petrus van Wickevoort Crommelin, Harlemensis, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 26 Oct. Bernardus Hermanus Maria Driessen, e pago Aalten Gelrus, defenso Specimine *de Juris poenalis praeceptis*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 4 Nov. Petrus Hellenus Muntz de Rouville, Briellanus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor.

d. 11 Nov. Carolus Henricus Josephus Hubertus Gielen, e pago Heythuysen Limburgensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Separatione bonorum*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 20 Nov. Franciscus Canter Alta, Hulsta-Zeelandus, *publice* defensâ Dissertatione *de Lege nauticâ Roterodamensi*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 3 Dec. Adrianus den Bandt, Dordracenus, defenso Specimine *de prorogatâ Jurisdictione*, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 17 Dec. MAURITIUS JANUS LUDOVICUS JACOBUS HENRICUS ANTONIUS HELDEWIER, Augustae Taurinensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Juribus et officiis Gentium mediarum in bello maritimo*, J. R. et H. Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 20 Jan. 1853. JOANNES ANTONIUS TAETS VAN AMERONGEN, Rheno-Trajectinus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

d. 21 Jan. RIJKLOF VAN GOENS, Hornanus, defensis Thesibus, J. R. et H. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 12 Martii. LUDOVICUS GUILIELMUS ERNESTUS RAUWENHOFF, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de loco Paulino, qui est de ΔΙΚΑΙΩΣΕΙ*, Theologiae Doctor, *magnâ cum laude.*

d. 25 Junii. JANUS ANTONIUS SNELLEBRAND, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine *de Precibus, in V. T. obviis*, Theologiae Doctor, *cum laude.*

HONORIS CAUSA.

d. 2 Febr. 1853. Literarum humaniorum Doctores creati sunt ABRAHAMUS KUENEN, Harlemensis, Theologiae Doctor, et GUILIELMUS WRIGHT, ex Civitate St. Andrews Scotus.

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVI M. MARTII MDCCCLII
USQUE AD D. XXVI M. MARTII MDCCCLIII,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

F. C. DONDERS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

C, G. OPZOOMER.

PROFESSORES.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER (Extraord.).
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. C. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER (Extraord.).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. J. WOLTERBEEK (Emeritus).
J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, CORN. JAN. FIL.
F. C. DONDERS (Extraord.).
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraord.).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY (Extraord.).
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraord.).

LECTORES

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

FRANCISCI CORNELII DONDERS

ORATIO

DE

JUSTA NECESSITUDINE SCIENTIAM INTER ET ARTEM MEDICAM
ET DE UTRIUSQUE JURIBUS AC MUTUIS OFFICIIS,

QUAM HABUIT

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCLIII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI CURATORIBUS AB EPISTOLIS ES, VIR CONSULTISSIME!

DISCIPLINARUM PROFESSORES, COLLEGAE HONORATISSIMI, VIRI CLARISSIMI!

ACADEMIAE LECTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

QUI MUNERUM AUT HONORUM AMPLITUDINE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI VENERABILES!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, HUJUS ACADEMIAE CIVES, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE AD HANC SOLEMNITATEM CONFLUXISTIS AUDITORES HUMANISSIMI!

Jubet lex academica Rectorem, munus depositurum, solenni habenda oratione magistratum successori tradere. Legi obtemperandum: prodeo igitur coram vobis, auditores! orator, legis obsequio, non animi voluntate ad verba facienda adductus. Quid enim ego, a pulchre dicendi facultate prorsus destitutus nec ullius unquam laudis cupidus nisi naturae scrutatoris diligentis, atque officia ipso mihi munere imposita ne negligam, a litterarum, antiquarum maxime, studiis abstinere coactus, latino sermone jam orator esse velim aut possim? Quare aequum sane est, ut humanitate vestra et benevolentia solita, si quem alium, me certe dicentem prosequamini, et quod aequum est, id a vobis, auditores exoptatissimi! me impetraturum certo confido.

Quodsi enim, florente academia et studiis ardente hac civium academicorum corona, regundae provinciae difficultatibus aut molestiis nequaquam gravatum me esse lubens profiteor, orationis argumentum, quod vobis non displiceat, eligere et verbis ornare, id medico physiologo perquam difficile et molestum esse, etiam atque etiam expertus sum. Jure enim postulare videmini, ut ne specialem adgrediar rem, quae a bene multis auditoribus, in aliis praesertim studiis occupatis, probe intelligi nequeat. Neque fortasse sufficiat, ut quaestionem tractem magis generalem; sed ut eadem nostro quo vivimus tempori accommodata videatur, si vobis placitura sit, requiri potest.

Quaerenti itaque, quodnam, si medicinam universam spectamus, phaenomenon nostra aetate maxime nos advertat, imprimis animadvertenda mihi videtur omnium, quae latiori sensu ad medicinam pertinent, disciplinarum progressio constans et perpetua, contra plerarumque praxeos medicae partium anarchia et perturbatio.

Medicinae historiam consulenti omni aevo artem et scientiam medicam conjungendi conspicui sunt conatus. Ad antiquissimas sane artes medicina pertinet. Famem alimentis, sitim potionibus expleri experti, vix aliter potuit, quin adversus alios item ingratos sensus auxilium quaesiverint nec non casu fortuito interdum invenerint primi jam terrarum incolae. Est hoc initium medicinae. Neque diu eo contenti fuerunt, quod utile aliquid esse videretur, etiam causas cognoscere mox studuerunt. Sic post medicinam inventam ratio quaesita est. Perfaciles omni tempore fuerunt medici in conjungenda ratione cum experientia. Quaevis enim theoria sufficere videbatur, quumque felici scientiae progressioni aut experientiae maturiori receptam theoriam subvertere contigisset, nova mox inventa est, observationes practicas explicatura. Neque semper facile dijudicatu est, utrum theoriae effatis praxis, an praxi theoria magis accommodata fuerit. Hoc vero constat, quandocumque hypotheses splendido theoriae nomine ornatae tam firmas egissent radices, ut his tanquam fundamento praxis superstrueretur, maximum inde damnum cepisse praxin medicam. Non enim ad eum perfectionis gradum scientia pervenit, — nedum pervenisset tum, quum theoriae illae reciperentur — ut quid utile sit, quid noxam afferre possit, inde effici queat. Quodsi jam cautos esse oportet in expli-

candis iis quae visa sunt et recte observata, abstinendum omnino a concludendo ad ea quae experientiae tantum ope affirmari aut negari possunt et debent.

Experientia vere fallax dicitur: itaque nihil certi nobis restaret. Fallacem autem non dixerim, quae sane difficilis est et fallere potest. Hoc vero teneamus, eo fallaciorem esse experientiam, quo magis theoria imbuti sumus, eo difficiliorem, quo phaenomenorum complexus major est, quoque plures causae incognitae simul agant, dum unius causae effectus inter diversa symptomata eruendi sunt. Tantus autem causarum et phaenomenorum complexus in homine aegroto se offert, ut experientia difficillima sit, et theoria aliquis imbutus hanc observatione affirmari facile sibi persuadeat. Quo factum est, ut ad hunc usque diem latiora atque firmiora empiriae fundamenta, practicorum consensione approbata, qualia sunt ea quibus physicae disciplinae nituntur, praxis medica nondum adepta sit.

Quid inde? — Scientiae progressu theoriis, quibus fulta erat praxis medica, fere cunctis sensim sensimque subversis, theoriae titulo et praesidio orbatae praxeos regulae per scepticismum dissolutae sunt, nec nisi paucae mere empiricae omnemque theoriam fugientes intactae remanserunt. Quemadmodum suo tempore illustrissimus Baco, magnus ille methodi physicae auctor, ab imis fundamentis instaurandas esse disciplinas physicas praecepit, sic nostro tempore artem medicam bene multi prorsus rejiciendam esse affirmant, nullibi quippe verum a falso dignosci posse contendentes. Et longe lateque diffusus hic scepticismus est, sectatores nactus etiam eximios disciplinarum cultores.

Practici autem, eclectici imprimis, scepticismum vituperant et *fidem* sibi tribui postulare videntur, quod tamen non nostrae aetatis est, quae e *scientia* potius persuasionem haurire studet. Illi, ut rem suam tueantur, inanes esse jactant scepticorum investigationes microscopicas, chemicas, micro-chemicas, anatomico-pathologicas, et quae sunt hujus generis aliae, quae praxi profuturas se pollicitae multorum suffragia tulerant, at nihil aliud effecerunt, nisi ut ad praxin medicam transferrent illud oeconomiae politicae praeceptum, quod Franco-Galli usurpant: *laissez faire*, *laissez passer*.

Sic inter se repugnare videntur scientia et ars medica, et hujus illiusque cultores castra hostilia metantur, litem componere parum curantes.

Triste sane spectaculum! Cujus in causas inquirentibus neglecta necessitudo scientiam inter et artem accusanda videtur. Quare vos, auditores aestumatissimi, haud inopportunum duxeritis, si hac hora dicere instituam: de justa necessitudine scientiam inter et artem medicam, et de utriusque juribus ac mutuis officiis.

Quae ad scientiam medicam pertinent disciplinae, a renatis inde litterarum studiis, suam habent historiam suamque naturalem, ut ita dicam, evolutionem. Non enim, ut doctrinae Baconis methodum negligentes, ad quas artem quoque medicam pro parte saltem referendam esse doleo, alternis agitantur motibus progrado et retrogrado, non tolluntur in altum, ut lapsu graviori ruant, — est constans et perpetua progressio ad perfectionem, lenta quidem illa, sed quiescere aut retrogradi nescia.

De singulis breviter videamus, et primo quidem loco de anatomia.

Veritatis amore ductus, pia mente Christi imaginem suspiciens, quemadmodum anatomiae instauratorem divinitus pinxit illustris Amman, Andraeas Vesalius cadaver humanum secare et explorare aggressus est, in eoque tantum profecit, ut, comparando, Galenum multis nominibus fallacem esse brevi demonstraret. Galeni quidem praecepta tenaciter adeo anatomicorum mentibus infixa haerebant, ut eo plerorumque inimicitias vir summus sibi contraxerit, quin unus eorum palam fassus esse tradatur, malle se cum Galeno errare quam cum recentioribus verum videre. Neque tamen fundamenta ab illo posita unquam subverti potuerunt, sed ipso aere, quo summi viri memoriam nostri aequales consecrarunt, perenniora sunt! Eandem viam secuti, deinceps magis magisque anatomiam corporis humani excoluerunt Vesalii successores (e quibus plures eosque eximios nostra patria sibi vindicat), ac breves plerumque fuerunt errores, siqui erant, iterata quippe investigatione et acri criticorum castigatione mox correcti. Sic nostra aetate eo perventum est, ut inter maxime perfectas disciplinas anatomica corporis humani cognitio, quatenus sectione erui potest, referri mereatur.

Ex anatomia autem diversarum partium sensim alia ortum duxit disciplina, quae initio in partes similes pro characteribus externis conjungendo et ordinando occupata, modesta fuit anatomiae ancilla. Ab Hallero, physiologorum facile principe, vitales diversarum partium proprietates experto, quasi praeparata, anatomia generalis mox suum nacta est conditorem, summum virum Bichatum, qui nec physicas nec chemicas nec vitales proprietates neglexit et, Pinellii exemplo edoctus, aberrationes quoque morbosas ad singularum partium naturam demonstrandam adhibuit. Deerat tantum microscopii usus, quo adhibito, non ut quae curiositatis aut delectationis causa pingui Minerva tractari solent, sed assiduâ contentione mente in scopum defixa, ex animalium partibus formas elementares enucleare valuerunt anatomiae generalis cultores. Haec autem disciplina nostris diebus a clarissimo Schwannio, cellulam tanquam unicam formam primitivam statuente, legesque praecipiente quibus cunctae formentur partes elementares, tantopere aucta est, ut, conjunctis investigationibus de forma, de compositione, de genesi ac vita illarum partium, histologia, quae nunc appellatur, verae disciplinae nomen et formam jure obtinuerit.

Neque physiologia progressione caruit. Initio, sola fere anatomia duce, mancae et incertae fuerunt singularum functionum notiones. Experimenti autem momento perspecto, summus Harveius circulationem, Casparus Asellius absorptionem vasorum lymphaticorum, Carolus Bellius nervorum functiones diversas pulcherrime illustrarunt, et Baehrius, reperto mammalium ovulo, ad generationis arcana declaranda januam aperuit.

Alias nostro praesertim tempore disciplinas in suum commodum physiologia adhibuit: prae caeteris chemiam dico. A Jacobo Berzelio, viro ob crebras indagationes aeque atque ob doctrinam unice nobilitato, praeparatam periodum novam Mulderus noster suis investigationibus stabilivit, qua durante et physiologorum et chemicorum omnes fere eo tendebant conatus, ut materiei mutationes continuae, quales in corpore vivo fiunt, rite noscerentur et intelligerentur. Quorum conjunctis studiis factum est, ut intra paucos annos hodierna chemia ad physiologiam et diaeteticam illustrandum quod conferre posset, fere praestiterit.

Casu fortuito congruit chemica haec periodus cum histologica, fere eodem tempore a Schwannio fundata, e quarum necessaria conjunctione

13

primordia chymismi, partium elementarium phaenomena explicaturi, nata sunt. Magnus fuit multorum ardor in hoc agro elaborando, qni ante haec tria lustra sterilis omnino, nunc caeteris physiologiae partibus par habendus est, neque novos fructus uberiores diligenti investigatori promittit. Hinc denuo physiologorum mentes vertuntur in physicen, quae majoribus in dies progressibus conspicua et nova theoria virium transformationis quasi animata, physiologiae partes, quae cum fructu elaborari possint, patefecit. In introitu periodi physicae, in qua physiologia hoc tempore versari coepit, scholae inprimis Berolinensis alumni nomina sua inscripserunt.

Sic anatomia, histologia, experimenta in animali vivo instituta, chemia, physice et si quae aliae sunt disciplinae, ad physiologiae explicationem suum quaeque contulerunt, eo effectu, ut omnium consensione, haud indignum locum inter disciplinas physicas jam occupet.

Anatomia pathologica inprimis nostra aetas superbit. Postquam anatomiae lux fulgere coepit, medicus causam mortis insecutae cognoscere cupiens, cadaver exploravit, et prima haec initia anatomiae pathologicae supplementum tantummodo fuerunt casus morbi observati. Neque aliter fieri potuit. Quis enim, nisi interiore cognitione anatomiae pathologicae jam praeditus, perspicere posset, quam firma inde auxilia ad pathogeniam essent redundatura. Magnum jam fuit cadaver explorare, quo morbi sedes et causae internae paterent. Neque est quod miremur, praecipue res curiosas et obscuras priscorum medicorum animos ad se vertisse. Vera enim disciplina, qualis nostris diebus anatomia pathologica habetur, ante uberiorem rerum experientiam, evadere illa non potuit. Testis sit Morgagnius, vir rari in observando acuminis, qui epistolas scripsit de *sedibus* et *causis* morborum; neque alio sensu Franco-galli ab initio inde hujus saeculi anatomiam pathologicam coluerunt.

Nostra demum aetas, morborum essentiam negans, rite perspexisse videtur, quae in cadavere praeter normam reperiuntur, nequaquam morbi *effectus* esse, sed ipsius conditionis morbosae imaginem ostendere. Quae cum non raro in eodem corpore sub diversis simul formis, quae sibi succedere solent, appareat, hinc, quomodo ea nascatur, crescat, occidat aut evanescat, egregie illustratur. Porro inquisita non tantum ea parte, quae morbosa habebatur, sed singulis universi corporis organis accurate

investigatis, necessitudo inter diversas diversarum partium aberrationes quaesita est et, physiologia duce, explicata. Neque in eo substiterunt anatomi pathologi ut animadverterent ea quae nudo facile oculo conspicienda essent; armato oculo vitam a norma recedentem, qualis in subtilissimis materiei formis et compositione apparet, scrutari et intelligere studuerunt.

Suis igitur propriisque nitentem fundamentis disciplinam factam esse anatomiam pathologicam, nostra aetas gloriatur. Ne autem nimis suis viribus confidat, jam monet historia. Solis enim ipsius fundamentis universam pathogeniam superstrui non posse, schola Viennensis testis est. Sanguinis proprietates physicas a norma recedere et materiem e sanguine effusam diversis formis prodire, observatio docuit; necessitudo etiam inter hanc et illas rite perspecta fuit. Non autem in eo substiterunt illustres Viennenses, sed diversas sanguinis crases, physico modo tantum exploratas, chemicis nominibus insignierunt, statueruntque omnes conditiones morbosas e sola sanguinis mutata compositione ducendas esse. Sic denuo ad limites pathologiae humoralis dictae perventum est, cui sanguinis quoque analyses chemicae, a Franco-gallis jam institutae, licet rem vix tetegissent, favere dicebantur.

Gravi huic errori diu tamen indulgeri non poterat, quum sana physiologia neque pathologiam humoralem neque solidariam audiendam esse praecipiat. Nimirum in actu nutritionis solida et fluida mutuo concursu se invicem temperant, et directa etiam nervorum vis in secretionem et nutritionem cauta Ludwigii observatione est comprobata. Alia igitur praeter anatomiam pathologicam requirebantur ad pathogeniam illustrandam: critica nempe analysis eorum, quae a nervorum actione pendent, sedula investigatio conditionum morbosarum, quales arte effici in animalibus possunt. Illam debemus praesertim illustrissimo Henleo, hanc autem, ante multos annos a Magendio institutam, a Virchowio et aliis feliciter jam excultam videmus.

Accedunt conatus, iique felici cum eventu instituti, ut e signis, durante vita observatis, status morbosus melius intelligatur et accuratius dignoscatur. Nulla observandi aut explorandi via neglecta fuit, et ad cunctas functiones, ad omnia fluida et solida e corpore missa, ad singulas corporis partes, quatenus vivente homine indagationi patent, methodi et physica et chemica et microscopica adhibitae fuerunt.

Inde symptomata, quae objectiva audiunt, magnum incrementum ceperunt et certior firmiorque plurium morborum diagnosis facta est. Percussione nimirum physicam organorum conditionem, auscultatione aberrationes in aëris et sanguinis motu factas comperimus. Uterum, aurem, oculum, quin et urethram, propriis speculis adhibitis, visu exploramus, illorumque aberrationes, non alio modo dignoscendas, patefacimus. Fibrae elasticae in sputis repertae pulmonum tabem, epithelium tubuli forma concretum et adulteratum in urina obvium renis structuram perturbatam indicant, sanguinis moleculae haemorrhagiam, filamenta spermatica fluidi ad quod pertinent jacturam.

Sic in dies crescit notitia eorum quae ad diagnosin et naturam morborum pertinent, ad quam cognitionem e singulis disciplinis tum physicis, tum anatomicis, tum physiologicis maximos fructus redundasse, quisque facile agnoscat.

Restat alia disciplinarum pars, quae non ipsum hominem, sed rerum extranearum actionem in corpus vivum spectat. Quemadmodum medicamentorum vires ad sanitatem restituendam per ipsam praxin medicam eruendae sunt, ita medicamentorum naturam, compositionem, vim quam in corpus sanum exerceant, explorare ad chemicorum et physiologorum provinciam pertinet. Neque officio suo defuerunt. Illi nimirum docuerunt e diversis plantarum partibus principia compositione definita et propterea vi certa semperque eadem praedita extrahere; hi autem, qua vi ea polleant ad mutandas functiones animalium et ipsius hominis, experiri studuerunt. Est hoc studium sane difficillimum. Exemplar sit examen de narcoticorum vi in cordis actionem, a viris doctissimis Lichtenfels et Fröhlich summa industria institutum, quorum methodum accuratissimam si bene multi persequantur, effectus, quos in homine sano diversa habeant agentia, sine dubio melius innotescent. Multum sane restat operae multumque restabit. Id vero constat, hanc etiam disciplinam assidue ad perfectionem tendere et quavis nova investigatione ad scopum quodammodo appropinquare.

Quis est, haec reputans, Auditores Humanissimi! qui non omnium disciplinarum, quibus scientia medica continetur, constantem et perpetuam progressionem jam agnoscat et agnitam admiretur!

Praxis autem medica quid valeat, vos ex me jam rogantes audio.

Apage illos, qui, infelici scepticismo indulgentes, artis salutiferae egregia et ampla praesidia prorsus spernant et naturae relinquendos omnes morbos clamitare non dubitent. Adeant illi aegros hernia incarcerata laborantes, qui a solo chirurgi scalpello salutem exspectant, aneurysmaticos, quibus Damoclis gladius assidue impendit, sola operatione chirurgica auferendus. Videant ossa fracta, arte ita disposita ut absque formae mutatione consolidata sint. Visitent illos, qui nasum, palpebras aut labia chirurgo, tanquam alteri Prometheo, recepta se debere profitentur, aut quibus, cataracta sublata, visus et cum visu vitae deliciae et utilitas redonatae fuerunt. Naturae laudatores nimios ad puerperae lectum arcesso, ubi haud raro obstetricatori contingit hanc sibi habere dulcem persuasionem: favente Deo, mihi debent salutem et mater et infans.

Neque medicina interna, licet saepius dubiis et obscuris prematur, excipienda est. Etiam haec sua habet quae certa sunt remedia, et jure ars salutifera audit. Ecce tibi aeger, febris apoplecticae impetu correptus. Sollicite et anxie febris intermissionem medicus speculatur, et chinino administrato, alterum impetum, eumque mortalem futurum, tuto avertit. Alius venenum hausit, quod medicus arcessitus nisi emetico ejiciendum curet, propinato antidoto innoxium reddit. Alius ob violatam pudicitiam foedo morbo afficitur, et malum, etiam in prolem serpturum, cura tempestiva exciditur. Sic inter remedia plura dantur, quae in certis conditionibus, communi peritorum judicio, ad sanitatem tuendam et restituendam conferre valent.

Saeculum fere praeterlapsum est, quum celeberrimus Petrus Camper, ordinariam medicinae professionem in illustri Amstelodamensium Athenaeo auspicaturus, de *certo in medicina* publice dixit. Symptomatum causarumque indicavit certas notiones eorumque pondus. De ipsis artis praesidiis agens, hydrargyrum, ferrum, corticem peruvianum, anthelminthica, opium et pauca alia laudat tanquam medicamina certis in casibus probatae fidei. Sunt haec eadem, Auditores! de quorum pretio in similibus conditionibus nostra aetate periti consentiunt. Praesidia sunt, qualia sola experientia praebet, non ratio, quorum actio cognita, nequaquam intellecta est. Perenniora sunt theoriis, utpote a theoria libera. Illorum vim salutiferam qui negare audeant, ipsam evidentiam negare videantur.

Ab hujusmodi praesidiorum augmento, quae specifica fere habentur, medicinae salutem proximo aevo esse expectandam, summus inter Anglos observator Sydenhamus perspexit. Spes autem fefellit. Paucissima sunt eorumque numerus vix augetur. Experientia enim difficilis, qua sola inveniuntur. Hodie haec, cras illa laudantur, sed brevi oblivioni sunt reddita. Deëst probata fides, aut desunt definitae conditiones, sub quibus prodesse valeant. Neque est quod miremur. Videntur enim practici theoriis indulgere iisque praxeos regulas superstruere plerumque maluisse, quam, quod difficilius est, cauta observatione virtutes remediorum experiri. Docente Brownio (ne rei historiam altius repetam) asthenias habuerunt plerosque morbos et praeter corticem peruvianum larga manu administrarunt valerianam, muscum, castoreum, aetherea, alcoholica et hujus generis irritantia alia. Reactio secuta est eaque vehementissima. Hujus auctor Broussavius quemlibet in cadavere semper fere hic illic in intestinis obvium ruborem pro irritatione aut inflammatione habuit, et quamlibet inflammationem sanguinis detractione debellandam praecepit. Ipsum sua doctrina ad majorem sanguinis effusionem ansam dedisse quam praelia cuncta ab Imperatore cujus agmen sequebatur Napoleone gesta, contendere non dubito.

Ita medicinae historiam consulentes pro variis theoriis varia artis praesidia principatum tenere cernimus, eadem recepta rursus rejici et denuo communi praeconio panchresti instar laudari. Genius epidemicus tanquam praedictis theoriis favens accusatur, qui tamen vix culpandus videtur, nisi ipsas medicorum mentes hoc genio quasi occaecatos statuamus.

Paroxysmum jam excipit remissio. Eclecticorum facile princeps, Hufelandus, systematum jam satis interiisse, ut in posterum medicinae salus a nullo systemate exspectanda sit, enunciavit. Hunc sequuntur nostra aetate, quae eclecticorum generi favet, complures. Systema, universa medicinae fundamenta amplexum, perhorrescunt; in theoriis autem sunt faciles, quin adeo faciles (excipio qui excipiendi sunt), ut ad quamvis conditionem morbosam, modo ad eam explicandam requiri videatur, propriam rationem adhibeant, parum curantes, utrum haec ceteris, quibus utuntur, dogmatibus respondeat necne.

Inter ceteros, ab hisce eclecticis longe diversos, omnem nimirum theo-

riam rejicientes, nisi qui in suum propriumque usum theoriam construere malint, alii in omni morbo ad aquas frigidas, quovis modo adhibendas, confugere suadent, hydropathici jure dicti; alii, quos e symbolo *ὅμοια ὁμοίοις* agnoscatis, a scepticis, qui in plerisque morbis prorsus abstinendum praecipiunt, se longe distare gloriantur, nec tamen distant in praxi, quum medicamina tam exigua dosi praebeant, ut sensum plane fugiant; alii, denique, Paracelsum, ut ipsi ajunt, in vitam revocantes, non alio modo nisi medicaminum effectu morborum naturam explorari posse perhibent, parum curantes, quid scientia docuerit, dummodo sciant, cujusnam plantae aut metalli genius epidemicus, suo qui viget tempore, appetens sit. Itaque effectus ingestorum, quorum tam imperfectam notionem habemus, systematis nosologici fundamentum habetur, et pro medicina, qua sanantur, morbos distinguunt Rademacherus et quos hic bene multos jam habet asseclas. Florent hi omnes, invitis eclecticis. Florent ipsi agyrtae. Etenim

> *„fingunt se cuncti medicos, idiota, sacerdos,*
> *„nasutus, nutrix, histrio, rasor, anus."*

Nec tantum se esse fingunt, sed habentur a multis.

Quantum igitur a disciplinis physicis, constante ac perpetua progressione gaudentibus, distat praxis medica, quae anarchia dissolvitur, cujusque historia labyrinthi imaginem refert, in quo vera et falsa, certa et dubia promiscue oriuntur, evanescunt, iterumque resurgunt!

Justam utriusque necessitudinem neglectam accusavi. Quod jam mihi probandum est.

Sua habent jura atque mutua officia et scientia et ars medica, quibus rite intellectis, justa necessitudo sponte elucet. Videamus de singulis.

Quod summum jus sibi vindicant cunctae disciplinae physicae, ne illis quidem exceptis, quae ad medicinam referuntur, est libertas plena, immunis nec cuiquam obnoxia. Sibimetipsis consulunt, non aliis. Nullum enim scopum persequuntur, nisi verum capescendi. Utilitatis studium omnino fugiunt. Ad naturae arcana intelligenda, jungenda ea et complectenda veri physicarum disciplinarum cultores cunctas, quibus polleant, vires intendunt, neque gloriam sibi expetunt ex emolumentis, quae attulerint.

Quid vero? Num jure dixit olim Poeta, stultam esse gloriam, nisi utile sit, quod facimus? Nonne ergo inanes cunctae disciplinae, nisi utilitatem afferant?

Qui ita loquitur, non perspexisse se fatetur, quantopere perspectae naturae leges mentem extollant, quantumque conferant ad vinculum hominem inter et divinum creatorem declarandum. Sed objicienti hoc respondere malo, eo majorem demum fore utilitatem, quominus de ea comparanda solliciti fuerimus. Praecedit scientia; sequitur utilitas, scientiae umbra. Qui huic inservire studet, raro illi consulit, et nulla foret utilitas, nisi scientiae lux praefulgeret. Haec autem physicis debetur lux, non utilitatis studio sed veri amore ductis; eaque tam clare fulget tamque utilia peperit commoda, quia scientiam ipsam solum habuerunt finem quo tenderent. Hanc itaque lucem assidue augere germani naturae scrutatoris officium est, eaque clarescente, utilia, quae inde sequantur, facile in oculos incurrent. Qui autem scientiae lumen utilitatis gratia adhibent, lumen non augent neque eo augendo meliora et utiliora praeparant. Ad nullam vero unquam interiorem phaenomenorum et legum naturae intelligentiam sedula duxit investigatio, quin serius ocius commoda nec quaesita nec exspectata inde aliquando emerserint. Idcirco ab utilitatis studio disciplinarum physicarum summi cultores oculos avertere solent, nec quidquam ipsius scientiae progressione antiquius habent. Et jure. Quemadmodum enim sors, addita usura, assidue augetur eoque uberiores suo tempore fructus reddit, sic majora emolumenta pollicetur scientia, si ipsius cultores parum solliciti de usura in usum vertenda, sortem ipsam, scientiam dico, quae stabilis est et temporibus vel maxime remotis salutifera, continenter augere studeant.

Hoc summum jus interdici nequit disciplinarum quae ad medicinam pertinent cultoribus, et summopere adeo laudandi sunt, qui solam scientiam medicam quacunque ex parte promovere studeant. Quod tamen jus a bene multis practicis quasi labefactatur. „Quid," sic eos jactantes audimus, „praxeos medicae interest, quotidie augeri molem observationum „ab anatomicis, a physiologis, a chemicis institutarum? Inania sunt horum „studia et industria, quippe qui nesciunt, quibus nos practici indigeamus, „et prorsus inutilia quaerunt et docent. Quisquis viros doctos audit,

„male consulit aegris, et verus illum fugit medicinae scopus. Faciant „theoretici, ut morbos sanare possimus huc usque insanabiles, et gratos „nos profitebimur discipulos."

Talia dum jactant, justam necessitudinem scientiam inter et artem practicos non perspicere, palam est. Scientia enim non artem integram et perfectam gignit, sed opportunitates solum praebet, sine quibus ars nulla est. Quid? Vellentne practici, ut ars omnibus absoluta numeris, Minervae instar, ex alieno cerebro nasceretur, ipsisque nihil curandum restaret. Artem efficere et ad hunc finem scientiam etiam adhibere, ipsorum practicorum est. Quae adhibitio sicubi, ut saepius fit, desit, meminerint, fructum non inde a primordiis maturum esse, neque maturo se unquam usuros, nisi ipsi foveant eum aut saltem foveri sinant.

Vos omnes qui in disciplinam physiologicam incumbitis, fructus ad maturitatem perducere pergite, et judicium iniquum contemnite eorum, qui messem intempestivam cupiant!

Alterum jus scientia habet et exercet: repellere praedatores. Nimirum practicorum nonnulli, ii praesertim, qui scientiam et artem conjungere se gloriantur potius quam sedulo student, quodlibet scientiae lucrum, licet nec ortum ejus nec ambitum perspiciant, arripere eoque ad praxeos utilitatem qualicumque modo abuti conantur. Praedatores voco, utpote aliena, non intellecta sibi arrogantes. Et scientiae illi nocent et arti: hanc enim incertis et falsis corrumpunt; illi fidem eripiunt propter frustrationem, quae temerariam et intempestivam adhibitionem saepius insecuta aut mox insecutura est. Quare ut suam dignitatem fidemque scientia tueatur, expelli futiles praedatores jus est. Ne autem practici semi-doctorum ratiociniis pelliciantur, serio monere ac multiplices indicare conditiones, quarum haec illave neglecta facile justae adhibitioni obstat, in ipsius officiis pono.

Alia praeterea habet officia, quibus fungatur scientia: ut empiriam nempe therapeuticam debito honore et fide prosequatur. Suis utique juribus praxis medica gaudet, quae non nisi cum artis damno saepius violantur. Mirum sane videri posset, quum cunctae disciplinae physicae empiria se niti glorientur, empiriam therapeuticam, sine qua therapeia nulla est, a bene multis vilipendi. Causas inquirenti duae in censum

veniunt. Medicos ad theoriam summopere proclives proposui. Quodcumque videant aut experiantur, explicare student et facile explicatu putant. Nihil enim quam medicos rationales se esse et haberi praesertim antiquius habent, vitioque vertunt se empiricorum nomine designari. Et sane, quum plerique medici empiriam adeo parvi habeant, ut empiricorum titulo designati ira excandescant, a disciplinarum cultoribus quid aliud exspectari poterat? Accedit altera causa, quae jure cautos eos reddit: practicorum nempe observandi et experiundi methodus. Complures nimirum inter practicos veram observandi et inducendi methodum numquam edocti in re fallaci adeo et difficili ut medicina est, ob magnum inprimis causarum et phaenomenorum complexum, ad errores non esse proclives nequeunt; ut omittam eos, quos suo jam tempore celeberrimus Zimmermannus acerbis verbis insectatus est, utpote experientia sua superbientes, licet modum receptum per totam vitam sectati sint nec senes plus sapiant quam juvenes. Hinc a bene multis fide minus digna haberi praxeos medicae effata, non est quod miremur. Quodsi propterea empiria medica in universum parvi habeatur, disciplinarumque ad medicinam spectantium cultores, scepticismo infinito indulgentes, damnare non dubitant ea quorum experientia illos plane deficit, est quod maxime improbemus. Subvertere omnia est sane facillimum! Sed vera a falsis distinguere, ad quod ipsos conferre oportet, hoc opus, hic labor est.

Summum scientiae jus plenam praedicavi libertatem, immunem illam, nec cuiquam obnoxiam. Quod tamen haud ita intelligatur, ac si singulae disciplinae physicae et physiologicae nihil omnino conferre debeant ad artem medicam promovendam. Ecquis practicorum e diversis doctrinis cuncta, quibus utatur, sibi parare possit, neminis auxilio adjutus? Idcirco scientia patefaciat illa, quibus artem promoveri posse perspectum habet. Quo faciendo non arti tantum, sed et sibimetipsi prospexerit. Mutuum enim cernitur inter diversas disciplinas vinculum, quo fit, ut mutua etiam commoda sibi afferant. Adjumenta physiologiae praebent et physica et chemia; utraque haec corporum vivorum phaenomena explicando explicatur ipsa. Sine anatomia nulla est physiologia; haec autem multarum partium naturam anatomicam dubiam saepius

illustravit. Basis pathologiae dici physiologia meretur; haec autem vicissim tot tantaque a pathologia accepit, ut aliquando physiologia nervorum magis pathologicum quam pathologia physiologicum characterem induerit. Simile vinculum disciplinas cunctas inter et artem medicam cernitur, licet hujus disjuncta membra nondum in doctrinae corpus redacta sint. Qua luce illae praxin illustrant, ea pro parte in ipsas rejicitur. Quare sibimetipsis consulent singulae disciplinae, si justam adhibitionem practicis faciliorem et uberiorem reddant.

En, Auditores aestumatissimi, scientiae jura et officia breviter exposita! Ut autem justa vobis necessitudo inter scientiam et artem perspicua sit, praxeos quoque jura, verbo jam tacta, ipsiusque officia enucleanda restant.

Quodsi scientiae cultoribus imponitur officium, praxin quo par est honore ac fide prosequi, praxis illud jus sibi vindicat, ut solis nitatur fundamentis, ab ipsa constitutis. Quandoquidam grato animo disciplinarum opes et auxilia practici sibi adsciscunt, his ea ratione utantur, ut in suo tantum fundo praxeos fundamenta jaciant, iisque artem superstruant. Praeter empiricam nulla datur medicina. Quodvis scientiae indicium, etiam maxime speciosum, empiriae sigillum requirit, antequam inter practica dogmata recipiatur. Quin saepius ipsa empiria utile quid praedicavit, casu fortuito potius quam scientia ducta, huic explicandam relinquens actionem eorum, quae nullo adjuta auxilio utilia esse probaverat. Neque praxeos multum interest, utrum quae vera docuit scientia jam explicare valeat necne. Empiriae requirit effata, ratione carere potest. E sua experientia fide probata, etsi non intellecta, verum medicum hac nostra aetate plura majoraque artis praesidia quam e ratione haurire equidem affirmare nullus dubito.

E praedicto praxeos jure, de quo nulla est controversia, profluunt alia: nimirum ut theoreticos, systematicos et scholasticos expellat neque sinat se alienae disciplinae, quamvis maxime affinis, imperio subjectum esse. Quemadmodum physiologi chemicos physiologiam facere jure dedignantur, sic medicus practicus alienum legislatorem quemcumque abhorreat. Inserviunt ipsi cunctae disciplinae, sed multifariis beneficiis caveat ne suum jus abalienet. Non enim construitur ars medica, sed experientiae fetus est, nec nisi observatione atque inductione juxta lectum aegrotantium nascitur.

Jura praxeos medicae me memorantem audivistis, Auditores optatissimi! utrum autem jura an officia ista dicerem, diu dubius haesi. Videtur enim praxis medica adeo segniter sua tueri, ut quae tanquam jura sibi vindicare debuisset, haec tanquam officia ipsi sint commendanda. Jus est praxi medicae ut suis propriisque fundamentis nitatur; haec autem fundamenta empiria therapeutica constituere ipsa negligit. Jus habet disciplinarum affinium imperium recusandi, quarum jugo malle se submittere videtur. Hac illave, quam sequatur, theoria praxin medicam ut plurimum imbutam fuisse, nos docuit conspectus historiae; neque hac nostra aetate in plenam libertatem se vindicasse exempla demonstrant. Theoria duce, aut saltem annuente, praxis sibi persuasum habuit, plerosque morbos inflammatorios sanguinis detractione curari. Quum vero jam sceptici in pneumonia venae sectionem inutilem, imo saepissime nocivam esse, audacter affirmarent, armis carere visa est, quibus antiquissima praecepta strenue defenderet. Quis medicorum, ubi sanguis, vasis ruptis, cerebrum comprimit idque apoplexiae symptomatis stipatur, hucusque venam secandam non praecepisset? Inter recentiores autem nonnulli, observationibus freti, a sanguinis missione in apoplexia abstinere jubent, neque hos falli pro ea qua indigent firmitate praxeos regulae, ex observatis effici potest. Nimirum pressionem diminui et ulteriori sanguinis effusioni vena secta obsisti, theoria indicare videbatur, quam indicationem praxis secuta est, non satis expertum habens, quis, neglecta venae sectione, tandem sit decursus et exitus. — In typho abdominali alii, enteritidem suspicati, sanguinis emissiones laudarunt, alii, systema nervosum fractum habentes, ad corroborantia, stimulantia, ut ad sulphatem chinini et similia confugiendum suadent; alii denique, sanguinis dissolutionem accusantes, chlorium et acida mineralia prae caeteris commendant, aut hydrargyro bilis secretionem promovendam jactant, ut elementis nocivis sanguis purgetur. Plerisque sic theoriae cuidam inservientibus, paucissimi observationes inter se comparandas evulgarunt, e quibus optima curandi methodus efficiatur, Neque soli sceptici sunt, qui propterea in diro hocce morbo praeceptum sequuntur: *abstine, si modum nescis.*

Perpensis omnibus, tristem illam, in qua major pars praxeos medicae versatur, conditionem non dubito directae praesertim empiriae neglectui

tribuere. Nolim vero, methodi numericae dictae, cujus summus auctor Parisiis floruit, Cl. Louis, laudatorem me haberi: observationes enim non numerandae solum, sed ponderandae, et facile illa methodus ad experimenta adduceret illicita. Hoc unum volo, ab omni theoria liberi sedulo notent, numerent, comparent, perpendant casuum similium decursum, exitum, variis remediis a singulis administratis, variis sub conditionibus. Quivis fere practicus suam curandi methodum habet, ab illa, quam discipulus doctus est, longe saepe diversam. Differt itaque multis nominibus in diversis nosocomiis similes curandi aegros methodus. Unusquisque suam, quam sequitur, methodum optimam habet. Singulas autem singulis non praevalere, in aperto est. Res judicatu difficilis! Sed campus patet, quem empiria aggrediatur.

Hac una via praxeos medicae fundamenta probatae fidei nascuntur, aeque firma ac ea, quibus disciplinae variae gaudent. Rationalis enim therapia empiricam non nisi sequi potest, neque haec ad eam jam perfectionem ducta est, ut illius condendi conatus non intempestivi habeantur. Peccatur itaque in eo quod necessitudo scientiam inter et artem jamjam quaesita sit, ubi vix ullus ipsi datur locus.

Mirantes equidem vos, graves auditores! adspicio, me scientiae magis quam artis cultorem necessitudinem therapiam inter et disciplinas medicas fere repellere et empiriae medicae laudatorem exstare! Quid? An is ego sim, qui disciplinarum physicarum cognitionem medico practico inanem prorsus et supervacaneam habeam, quippe quae hucusque aegros curare non doceant? Non credatis, Auditores! et jure. Qua enim persuasione praxin medicam ex empiria efficiendam contendi, ipsam empiriam, hoc est praxeos basin, nisi scientia suffultam, ullam esse nego. Haec volo ut rite distinguantur: quodnam, data aegri conditione, remedium sit propinandum, scientia ut plurimum deficiente, empiria doceat; sed cuncta observare, quae ad dignoscendam conditionem casusque diversos comparandos requirantur, non nisi physicis disciplinis et methodis imbuti unquam valeamus.

Postulant haec quae dixi, ut naturam observare doctus sit medicus practicus. Est officium sane gravissimum quod, quomodo colatur, in aperto est. Nimirum non nisi observando observatores fimus. Quid vero non sufficit hunc in finem lectis adsidere aegrotantium et quare ad formandum bonum

observatorem disciplinarum physicárum studium requiritur? Res, ni fallor, est in aperto. Ut observando observare doceamur, clare patere oportet, an recte observatum fuerit necne. Quod patebit, quotiescunque, perspectis legibus, cognitis causis et consecutionibus, experimenti instituti effectus praedicimus et confirmatos habemus. Et ita fieri in disciplinis physicis, neminem latet. Vix autem quid verum, quid falsum sit in observando aut concludendo enucleari potest, ubi tantus causarum et symptomatum complexus adest, quantus in homine aegro occurrit, experimento non sejungendus. Sic nobis insciis fallax observatio esse potest, quo fit ut hallucinari potius quam observare doceamur.

Quisquis rerum naturam experiri rem facilem et quasi innatam ducit, cum a recte experiundo et observando procul habete. Et nulla sane observatio difficilior est quam illa, quae circa hominem versatur, praesertim circa hominem a norma aberrantem, quaeque non anatomiam aut physiologiam aut pathologiam, sed universum complectitur hominem. Hoc medicorum est, quorum munus, ut apte et eleganter nuper disputavit maxime venerandus collega Lugduno-Batavus, in anthropologia, latissimo sensu, versatur. Quis autem hominem interpretabitur nisi naturae interpres? Physicis doctrinis nisi imbutus sit, in basi vacillante insistere assuetus, certi et incerti sensum prorsus amittere medicus periclitatur. Illas disciplinas ante oculos habeat, tanquam exemplar, in cujus formam praxin medicam redigere studeat.

Hanc generaliorem disciplinarum physicarum utilitatem praemittendam putavi, utpote rarius suo pretio aestimatam. Sed alia esse, quae medico eas probe tenere praescribunt, vos non fugit. Reputetis vobiscum, Auditores aestumatissimi! quibusnam in rebus observandis versetur aegri conditionem dignoscere et intelligere studens. Suntne phaenomena physica et chemica, physicae proprietates, chemica compositio, suntne anatomica, physiologica, anatomico-pathologica? Inserviuntne observationi eadem instrumenta, eaedem methodi, quibus physici, chemici, physiologi uti solent? Suntne haec instrumenta et hae methodi, quibus certior firmiorque diagnosis, interior conditionis morbosae cognitio, debeatur? Quis enim adeo imbecillus est, ut divino potius afflatu quam sedula investigatione conditionem morbosam intellectam esse suspicetur? Quicumque medicus, sensus

practici laudator, physicas investigandi methodos negligit, in tenebris palpare quam in luce cernere malle videtur.

Aegri jam conditione perspecta, incipit curatio. Ut quavis curatione ars etiam promoveatur, disciplinarum iterum auxilia requiruntur, quibus adhibitis artem rursus scientiae copulaverit medicus. Comparatis remediis, quae priores adhibere solebant, cum iis e quibus eligere recentioribus contingit, magnum datur discrimen. Inter illa bene multa occurrunt, quorum proprietates, compositio, nedum vis quam in corpus exerceant, constantes esse nequeunt, ita ut eodem remedio praescripto revera idem administrari neutiquam constet. Quo facto empiriae magnopere noceri palam est. Pharmacia, qualis nostra aetate chemia fulta exstat, remedia parare et dignoscere docuit, de quorum constante similitudine dubium moveri nequit. Haec longe ceteris praeferenda esse, nemo est qui non perspiciat. Quicumque autem ab incertis et complicatis practicos omnino abstinere putet, is valde errat. Formulae nimirum, quarum nescio utrum magis improbem miram complicationem an misturam incongruam, a non paucis receptae valent, licet omni auctoritate destitutae et horae momento ex arbitrio natae. In ipsius artis damnum agi, nisi talia penitus proscribantur, perspicuum est. Simplex enim, ut est veri sigillum, ita verae empiriae fulcrum creditote!

Praecipua tum jura tum mutua officia et scientiae et artis medicae breviter, utinam ne longius, vestro judicio, disputasse jam mihi videor. Illa pro parte labefactata aut segniter defensa, haec parum culta vidimus, quo factum ut non raro necessitudo, ubi nulla est, quaesita, ubi adest, neglecta sit.

Quid mirum, dum floret scientia, quae sua jura tuetur, languere artem, quae e scientia, neglectis necessariis, nimia haurire voluerit? Nostro autem tempore eo pervenisse videtur artis incuria, ut conversionem jam prope esse, pro rerum natura, ominari liceat.

Viam, qua ars medica stabilius firmetur, pro viribus indicare conatus sum. Utinam praeclara haec ars, jus suum magis vindicans et officiis fungens, brevi eo perveniat, ut velut disjecta membra in justam disciplinae formam redigantur et in dies magis magisque muneri suo satisfaciat, ad generis humani salutem promovendam!

Commemorandum restat, qualia, me Rectore, fuerint Academiae fata.

In universum prospera est Academiae conditio. De studiis et moribus civium academicorum probabile datur testimonium. In albo academico nunquam, ni fallor, ullo alio anno tantus numerus sua nomina inscripserunt. Estne quod insigni illo incremento laetemur? Sane quod prae caeteris academiis studiosorum numero increscit haec nostra clare demonstrat succos eam ex universo patriae fonte uberrimos haurire, vitamque ominatur alacrem, diuturnam. Ne autem comparatio instituatur cum annis praeteritis, quum examen severum solum januam aperiret. Jam cuique ad Minervae templum patet aditus et cuique eum patere non improbamus. Hoc unum improbandum videtur, nullum dari discrimen profanos inter et initiatos, exotericos inter et esotericos; civem academicum sibi non conscium esse, quid praestet, quid sua doctrina valeat, quid doctoralis aliquando gradus capescendi cuidus aut sperandum habeat aut metuendum. Sed avertere malum e nimia liberalitate oriturum penes vos est, studiosa Juventus! Crescat vestra industria et cuique vestrum cordi sit praeceptum illud Apollinis templo inscriptum: *γνῶθι σεαυτόν*.

Quotannis Rector memorare solet quae ad praesidia, quibus utitur Academia, pertinent. Mutationes autem exiguae esse solent ac propterea brevia plerumque responsa, ad Rectorem missa ab iis, quibus singulorum praesidiorum cura aut usus mandata sunt. Verbo pleraque tetigisse sufficiat. Laboratorium chemicum, qua nostra superbit Academia, supellex instrumentorum physicorum, Physices Professoris usui destinata, hortus botanicus tum diversis plantis exoticis, tum seminibus aliunde missis, tum etiam viri nobilissimi Beaufortii liberalitate insigniter locupletatus, singula haec studiis rite prospicere valent prospiciuntque. Crescit assidue museum anatomicum, florent observatorium microscopicum, laboratorium physiologicum. De bibliotheca, qui huic praefectus est Collega, haecce mecum communicavit:

Bibliotheca anno praeterito a plurimis tam Academiae civibus quam aliis frequentata, quam multis magno usui fuit. Numerus librorum insigniter auctus est, imprimis iis, qui ex amplissimo dono, cujus superiori anno mentio facta, empti sunt; quibus accesserunt bene multi, partim dono oblati, partim pecunia ex aerario publico et liberalitate Curatorum attributa, acquisiti, qui omnes, pro diverso argumento, per classes distribuendi fuerunt, singulis nota proprietatis apponenda locusque annotandus, ubi in Bibliotheca facile inveniri possint.

Quocirca non mirandum, catalogum librorum in artem redactum eodem fere statu mansisse, quo proximo anno fuerat. Cujus morae alia etiam caussa afferri debet. Hoc enim anno Curatorum auctoritate novum supplementum catalogi, quatuor fere millia librorum continens, quibus Bibliotheca inde ab anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto usque ad finem anni millesimi octingentesimi quinquagesimi secundi locupletata est, singulorum ordinum sive Facultatum discrimine observato, confectum et typis jam describi coeptum est. Index autem loca indicans, quibus libri in pluteis collocati sunt, eum in finem profligatus est, ut omnium librorum ad historiam tum universam, tum singularum gentium, ad opera geographica, itineraria, numismatica, porro ad litteras orientales. graecas, latinas, recentiores pertinentium loca accurate annotata et descripta facilem aditum consulentibus praebeant.

Praeterea monendum, Academiae Curatoribus hoc anno placuisse, capsam in Bibliotheca collocari, in qua numi asservantur, cusi praesertim ad res Academicas celebrandas. — Hoc ipso tempore numerus collectorum numorum nondum magnus est; speramus autem fore, ut liberalitate atque accommodatione eorum, qui nostris rebus faveant et laudabile Curatorum consilium adjuvare possint, sensim paullatimque eum in modum augeatur, ut nostra theca numaria insigne Bibliothecae ornamentum dici mereatur.

A. van GOUDOEVER.

De reliquis tacere maluissem. Specula enim astronomica adeo labascit, ut diversa instrumenta, ne quid detrimenti caperent, ad suppellectilem instrumentorum physicorum transferri debuerint, quod factum est. Sane

dolendum per annum et quod excurrit omnem siderum motus observandi opportunitatem defuturam. Novae autem qua nostra Academia ornetur speculae astronomicae, a Curatoribus jam designatae, brevi a Principe probationem exspectari addere juvat. Utinam de nosocomii Academici ab imis fundamentis instaurandi decretum jam aeque maturum esset. Dicere verum, quid vetat? Nosocomii academici tristem, in quo versatur, statum, frustra repetitis identidem querelis, immutatum manere in perniciem aegrotorum, in damnum institutionis, in taedium et docentium et discentium, in academiae denique dedecus, Professores clinici testantur. Interim numerus eorum, qui auxilium inprimis chirurgicum implorarunt, auctum est et armamentarium chirurgicum locupletatum.

„Annus in nostro amplissimo Senatu, Academiae Curatores atque Professores! sine clade fuit. Nullum lugemus. Senibus etiam dira mors pepercit." Haec superioris anni Rectoris verba, grates Deo agimus, jam licet repetere. Quis nostrum, Curatores, Professores! senem maxime venerabilem, cujus licet visus obcoecatus sit, mens vegeta et integra manet, Rectori designato gratulantem atque Academiae fausta omnia precantem audivit, absque laeto gratoque erga Deum animo! Quis non pia obtulit vota Deo optimo maximo, ut in senatu amplissimo praesidis sedem tenere iterum iterumque viro dignissimo contingat?

Ad te me vertens, Clarissime Hartinge! Quem ob adversam valetudinem superiori anno solenni huic ritui non interesse dolebamus, jam in sanitatem restitutum, alacrem, collegis, discipulis, scientiae, quam singulari colis assiduitate, te redditum esse gaudeo tibique gratulor.

Gratulor denique tibi, Vir Consultissime, qui Curatorum collegio ab actis summa industria Academiae commodis prospicere soles, gratulor tibi, cui filium nurui amantissimae connubio junctum videre nuper contigit. Tibi tuisque e dulci hoc vinculo prospera omnia profluant!

Non omnia tamen laeta sunt, quae referenda habeo. Ante paucos dies nobilissimo viro Baroni van Goltstein, Curatori nostrae Academiae spectatissimo, subito, eheu! erepta fuit conjux, matrona nobilissima, cui tristi fato

ipsius, quem quotannis festo hocce die interesse gaudebamus, tribuenda est absentia. Alacrem autem virum, magna, quam fecit, jactura neutiquam labefactatum, patriae decori et academiae saluti diu servet Deus incolumem!

Collegarum ordinem conspiciens, intimo pectore etiam commoveri me sentio. Luget enim sororem dilectissimam Collega, quem diligimus et observamus omnes, Clarissimus Karsten, luget Ruebius noster socerum, virum celeberrimum Numannum, tum doctrinae copia, tum animi dotibus maxime conspicuum. Quem, licet nullo titulo nostrae Academiae junctum, Academiae Professores suo circulo collegam assidue interesse cuncti gaudebant et gloriabantur. Det Deus, ut e carissimis vestris pignoribus per longum annorum spatium nullus tristi fato abripiatur!

Quid autem tibi dicam, Clarissime Schroeder van der Kolk! quem nescio utrum carissimi praeceptoris an collegae conjunctissimi nomine malim alloqui. Graves, iterum graves sunt, quas fecisti, jacturae. Cum uxore, quam amabas, pia mente obitum luxisti socrus, matronae honestissimae; et brevi post, eheu! ipsa conjuge, quam virtutis domesticae exemplar omnes venerabantur, dilectissima orbatus, cum liberis altius enim animo moeruisti! Necdum finis erat malorum. Filiolae enim, quam diligebas, lepidissimae, praematuram tandem cum filiis deflevisti mortem. Haud tibi defuerunt collacrimantes amici, collegae, discipuli. — Multis sane orbatus es, sed multa tibi supersunt. Firmus enim es et pietate et fiducia in Deo optimo maximo reposita, cujus voluntati te submittere mature didicisti. Firmus es, et affulget tibi vitae scopus, quum liberos, quibus summum te donavit Numen, pie te colentes adspicis, et omni ope eniteris ut curae maternae iis denegatae desiderium paterna cura quantum possit compensetur. Per longam et vegetam senectutem tuae sint deliciae, matrisque quasi tibi reviviscentis caram imaginem magis magisque referant, queis te beavit, liberi!

Inter cives academicos nonnulli juvenili aetate diem obierunt supremum. Eorum funera deflevistis, sodales. Nomina, Cives Academici! meministis. Sunt:

Henricus Didericus Focquin, Jur. Cand.
Alfridus Raymundus van Nispen, Jur. Cand.
Franciscus Constantinus Josephus de Quertemont, Theol. Studiosus.

Sic nulli aetati parcit atra mors. Quum viris et senibus vitae finis quotidie fere ob oculos versetur, raro ultra vitae terrestris spem adolescentes ac juvenes prospicere solent. Ut vita vestra sit honesta et justo pretio a vobis aestimetur, Juvenes! respicite finem. Amici, quos luxistis, quorumque feretram subiistis, vitae finem instare interdum moneant, et sic defuncti, quorum memoriam colitis, favente Deo, etiam viventibus prosint!

Inter grata, quae hodie mihi contingunt, primum locum illud obtinet, ut juvenibus, qui in certamine litterario palmam tulerunt, ex Regis munificentia et summa auctoritate, virtutis offeram atque doctrinae praemia. Non singulis singulorum ordinum quaestionibus respondit studiosa juventus. Sed eo major fuit contentio. Omnes igitur, qui de victoria concertarunt, licet strenue vires intenderint, palmam aemulis praeripere non potuerunt. Hoc autem judicium Ordines ferre non dubitarunt, tanta esse merita etiam illorum, qui victoribus cedere debuerunt, ut, si soli per se spectarentur, aureus ipsis non denegandus fuisset nummus.

Quod ut Regi Augnstissimo nuntiatum est, sua liberalitate secundos quoque praemio ornare statuit, ut ante paucas horas mihi nunciatum est, et quot aureos tot argenteos adsignavit nummos.

Singulorum ordinum de perlatis ad ipsos commentationibus judicia praelegam, vosque rogo, juvenes praestantissimi, quibus praemia sunt adjudicata, ut recitato nomine vestro, singuli ad hanc cathedram accedatis.

Theologorum ordinis judicium.

Theologorum Ordo Academiarum atque Athenaeorum civibus hanc posuerat quaestionem:

„*Potiores, quibus Epistolae orationem illustrat* Jacobus, *imagines comparationesque grammatice explicentur atque aesthetice judicentur.*"

Ad quam explicandam quaestionem tres allatae sunt commentationes, quarum nulla non aliquâ, quamvis diversâ, laude digna esse videretur. Quamquam in postremis, quae attingenda erant, Apostoli dictis tractandis, deficiente forsitan tempore, festinantius omnes versatae esse deprehendebantur.

Ut de singulis videamus, *prima disputatio* Heusdii dicto insignita erat: „*Lente, o bone! inquit, festinandum est nobis*” caet. — Industriâ sane cernebatur haec diatribe, studiumque prodebat, quae ad locorum *Jacobi* intelligentiam aperiendam pertinere putabat auctor, non temere negligendi. Verum sic aliorum, recentissimorum imprimis *Grammaticorum*, dicta, ne e *Germanicis* quidem *Latine* conversa, reponit, ut hos potius compilâsse, quam suo Marte interpretatus esse dicendus sit. In aesthetico autem Epistolae de *imaginibus* judicio, si non omnino nulla bonae frugis monita traduntur, at saepius acer pulcri sensus desideratur. Atque universe laudabilis industria si comitem habuisset judicii sanitatem atque acumen, meliore successu ad praemium obtinendum adspirare potuisset auctor.

Primae, de quâ diximus, commentationi, Theologorum de judicio, longe antecellit *altera*, quam Boilavii dictum distinguebat: „*Rien n'est beau que le vrai*” etc. Ad industriae enim laudem, quam cum *illâ* communem habebat, alia bona accedunt ac virtutes minime contemnendae. Nam criticis atque exegeticis in disquisitionibus accuratius versatus auctor, atque iis etiam, quae vulgo negliguntur, in usum conversis artis subsidiis, subtilem doctumque, ut juvenis, sese demonstrat Sacrarum Litterarum interpretem. Neque enim aliorum in judiciis referendis acquiescens, solerter ut plurimum atque acute eas commendat probatque locorum interpretationes, quae Hermeneutices in praeceptis legibusque certum habent aut probabile praesidium. Unde spes est fore ut, si eodem, quem ingressus est, studiorum tramite constanter perrexerit, ejus ex operâ bonos aliquando fructus sacra capiat Exegesis. Quo magis ejusdem laudis in societatem nequaquam admitti posse dolendum est, quas ad *imaginum Jacobi comparationumque* pulcritudinem explicandam attulit, animadversiones, et vero recte dictorum laudem frequentissimis obscurari Latinitatis vitiis sordibusque.

Sicuti vero *primae alteram*, ita utrique *tertiam* praeferendam esse Theologi censuerunt disputationem, quae tesseram habebat Jacobi dictum: *εἰ ταῦτα οἴδατε κ. τ. λ.* Quippe quae disputatio nullo facile laudis genere prioribus illis inferior esse judicaretur, et *suis* commendari sibique privis praestantiae dotibus. Universe enim concinnius atque elegantius disposita apparet et ordinata. Nec parvam a Latinitatis probitate commendationem habet. Tum in locorum, quorum crisis requirebatur atque enarratio,

subtiliorem interioremque rationem, bono plerumque exitu, sese insinuandum curavit auctor; cujus ingenium doctrinae lumen illustrabat ac judicii solertia regebat. *Imaginum* tandem *comparationumque*, quibus sanctissima haec elucet Epistola, elegantem se demonstravit arbitrum judicemque.

Quae igitur cum ita essent, litterato hoc in certamine victorem declaravit Ordo *tertiae* hujus commentationis auctorem. Quem, apertâ scidulâ justâque institutâ probatione, esse apparuit

GERARDUM VAN LEEUWEN,
Theologiae Rheno-Trajectina in Academia Candidatum.

Nec vero suo defraudandum honore Theologi censuerunt illius, quam *altero loco* recensuimus, disputationis auctorem, BOILAVII dicto usum illum: *Rien n'est beau que le vrai* etc. Quem etiam ipsum tam egregia prodidisse industriae doctrinaeque documenta visum est, ut honorifico laudis testimonio publice ornandus esset. Quocirca, posteaquam sui ipse nominis copiam fecerat auctor, resignatâ commentationis scidula (ac legitimâ institutâ disquisitione) hunc esse apparuit

HENRICUM WORST,
Theologiae Lugduno-Batava in Academia Studiosum.

Praestantissime VAN LEEUWEN! Ex regis auctoritate lubens tibi trado virtutis atque doctrinae praemium. Te ob industriam tuam et egregiam animi indolem jam dudum magni aestimarunt atque dilexerunt Praeceptores, Commilitones. Publice laudo hanc tuam industriam tuamque pietatem, augurorque fore, ut matris optimae carissimae, quae tali filio jure gloriatur, gaudia cumulare pergas et ad majora contendas industriae atque virtutis praemia.

Ornatissime HENRICE VOORST! Testante ordine theologorum, egregia prodidisti industriae doctrinaeque documenta et dignum te judicavit Ordo, qui honorifico laudis testimonio publice ornareris. Meliora autem tibi praeparavit munificentissimus Rex, e cujus summa auctoritate hunc tibi lubens trado argenteum nummum.

Judicium facultatis Juridicae.

Facultas juridica duas proposuit quaestiones:

I.

„*De crimine ambitus et de sodalitiis apud Romanos, tam libera republica, quam sub Caesaribus, historica instituatur disquisitio.*"

II.

„*Inquiratur, quale olim intercesserit inter rempublicam Belgii foederati ejusque colonias in India Orientali juris vinculum, quaeqne colonorum fuerit juris cum publici tum privati conditio. In quo juris loco illustrando, praeter alios fontes, etiam adhibeantur quae nuper Mijer, vir amplissimus, edidit documenta.*"

Ad priorem sex accepimus commentationes, quarum duae continuo una lance trutinandae videntur, cum dotibus et naevis iisdem prope cognoscantur. Altera lemmate designata est:

„*Qui studuit optatam cursu contingere metam.*
Multum fecit tulitque puer, sudavit et alsit."
HORATIUS.

Altera epigramma habet:

„*Virtute ambire oportet, non fautoribus.*"
PLAUTUS.

Scriptores testimonia Veterum, ex quibus rerum notitia redit, pleraque sane non indiligenter composuerunt; deficiunt tamen cum ubertate, tum accurato studio, cum nec universum locum in sua amplitudine tractarint, nec singula momenta, qualia sunt judicia et posterioris aevi historia, studiose pervestigarint. Latinitatis tamen et orationis modo, ut et recentiorum auctorum usu, posterior praestat. Neutram praemio ornandam censuimus.

Tertia quaedam commentatio cum Liviano titulo: „*Labente deinde paulatim disciplina velut dissidentes,*" caetera, nobis allata est, quae quidem superiores tam copia praestat, quam diligentia, displicet vero inconcinna rerum dispositione, eaque molesta prolixitate, quae auctorem argumenti ubertate oppressum magis, quam ei illustrando explicandoque parem, declarat.

Quarta commentatio est verbis inscripta: „*Je propose des fantaisies informes et irrésolues,*" caetera. Animadvertitur in ea laudabile auctoris studium demonstrandi, quam arcte leges de ambitu latae causaeque ex iis

dictae cohaereant cum ipsa factionum historia, quae Rempublicam Romanam agitarunt, cumque morum corruptela, quae deinde ingravescebat. Qua in re licet nonnumquam incerta certis admiscuisse videatur, tamen ita versatus est, ut ingenii laudem omnino meruerit. Caeterum universe argumentum ita tractavit, ut non tantum collegerit et exposuerit praegnantia quaeque veterum loca, sed ut ex iis quoque historiam revera ambitûs conficere conatus sit, ejusque, recentioribus etiam exemplis interpositis, quasi adumbrare imaginem. Quae res ut nobis in primis placuit, ita ab altera parte quaedam inconsiderate et festinanter tractata, alia prorsus omissa, effecerunt utique, ut commentationi, quae sexto loco commemoranda erit, postponeretur. Ne tamen sua laus auctori deesset, eum honorifice proclamandum esse judicavimus. Nomen tamen suum nobis non indicavit, publice evocatus.

Quinta commentatio verba inscripta habet Ciceronis: „*Quod si quem aut natura sua aut praestantis ingenii vis*," caetera. Auctor sedulo collegit et sagaciter exposuit, quae de ambitu veteres tradunt usque ad tempora Augusti, sed in iis, quae ad posteriorem aetatem pertinent, exponendis brevior est quam oportuit. Inprimis accurate de temporum rationibus et singularum legum auctoribus disputavit, sed in his abreptus est saepe *αὐθαδείᾳ* quadam nimiaque doctissimos quosque viros redarguendi temeritate. Omisit igitur quaedam necessaria, addidit vero alia a loco aliena, nec semper clarus fuit in sua sententia explicanda. Ingenii quidem acumen prodidit non vulgare et criticae artis studium, sed non etiam historiae; itaque singularibus inhaerens ad universum animum non satis advertit. Necessitudinem, quae inter ambitus pravitates et temporum corruptelam intercedit, omnino neglexit. Quae cum ita sint, hujus commentationis auctorem etiam honorifice commemorandum censuimus, qui publice evocatus se prodidit

Simke Heerts Rinkes,
in Academia Lugduno-Batava Litterarum humaniorum Candidatum.

Ultima denique commentatio symbolum habebat:

„*Virtute ambire oportet, non fautoribus.*
„*Sat habet fautorum semper, qui recte facit.*"

Plautus.

Ejus auctor magna diligentia veterum recentiorumque scripta excussit, omniaque loca, quae argumentum illustrare possent, compilavit, quaeque invenit probabili sermone, et per temporum seriem concinno ordine exposuit. Quod in eo fortasse hic illic desideratur ingenii acumen, diligentia et labore compensavit, nec tantum antiquiora tempora, sed quoque ambitum Caesarum tempore accurate descripsit, ita ut universam quaestionem pari industria tractarit.

Hunc igitur auctorem praemio regio condecorandum censuimus, atque, aperta scidula, nomen prodiit

Isaaci Telting,

in Academia Groningana juris Candidati,

qui, instituto examine, se auctorem nobis probavit.

Praestantissime Telting! Praemio regio te condecorandum censuit ordo Jurisconsultorum, quod gratulabundus tibi trado: contigit enim tibi strenue contendentibus aemulis doctrinae palmam praeripere. Fac ut doctrina aeque ac honestate magis magisque eluceas, ut qui nunc es Academiae decus aliquando Patriae evadas ornamentum.

Ornatissime Rinkes! Aureum tibi tradere nummum non licet, sed ex Regis munificentia argenteo te donari, qui in certamine difficili inter eximios aemulos laudem victoriae proximam reportasti, admodum laetor. Perge eo, quem ingressus es, tramite, ut aliquando summam ferre palmam tibi contingat.

Judicium ordinis philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum.

Ad quaestionem ex historia patriae:

„Balthasaris Bekkeri vita et merita ex ipsis fontibus Belgico sermone ita exponantur, ut narratio commendetur tum accurata relatione tum elegantiori oratione:"

Ordo duas commentationes accepit, quarum una Schilleri verbis: *„Wenn die Könige bau'n, haben die Kärrner zu thun;"* altera Göthii verbis: *„So wirkt mit Macht der edle Mann" etc.*, erat ornata.

Harum commentationem scriptores argumentum exposuerunt docte et magna cum diligentia, atque ex optimis hauserunt fontibus, ita ut uterque liber plura et meliora de Bekkero contineat, quam ulla hujus

viri vita hucusque in lucem edita. De diversis etiam Bekkeri scriptis theologicis et philosophicis eorumque nexu cum theologorum illius aevi disceptationibus egregie disseruerunt, ita ut in hisce referendis, exponendis et dijudicandis palmam omnibus praeripuerint, qui de Bekkero scripserunt.

In utroque libro dicendi genus, etsi non ea se commendet puritate et elegantia quam ordo optaverat, haud multum tamen recedit ab ea oratione, qua nostrates in hujusmodi scriptis uti solent.

Quodsi igitur Ordo de harum commentationum alterutra, sola per se considerata, sententiam ferre debuisset, non minus huic quam illi aureum praemium adjudicasset. At vero scriptor libri, qui Schilleri verbis insignitus est, interius in argumentum penetravit, plura omnino doctrinae ac judicii documenta dedit, Bekkeri merita et vitam luculentius exposuit. Hunc igitur,

Folkert Schaaff,

in Academia Groningana litterarum Candidatum et Theologiae Studiosum,

nummo aureo dignum judicaverunt; alterum autem,

Gerardum Janum Bernardum Henny,

in Academia Lugduno-Batava litterarum Candidatum,

argenteo praemio ornandum censuerunt judices.

Audivistis, Juvenes nobilissimi! ordinis Philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum judicium, quo tibi, praestantissime Folkert Schaaff! aureum praemium, tibi autem, ornatissime Henny, simul argenteum jam adsignatur, ac si Regis hanc majorem etiam liberalitatem, quae ante paucas horas mihi nuntiata est, jam praesensisset ordo. Strenue de victoria concertastis. Gratulabundus utrique vestrum virtutis et doctrinae proemium offero. Pergite eadem industria patriae historiam excolere, in patriae salutem et gloriam.

Alterum Judicium Ordinis Philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum hoc est:

Ad quaestionem ex historia antiqua:

„*Exhibeatur disputatio de gente Fabia ejusque vi et auctoritate in civitate Romana per tempora liberae reipublicae. Qua disputatione tam ipsius gentis antiquitas, ratio, instituta exponantur, quam principum ex ea*

virorum, qui vel in republica vel artium et litterarum studiis inclaruerunt, acta commemorentur, cum notatione monumentorum tam privatorum quam publicorum, quibus res illae testatae et proditae fuerint:"

acceptae sunt duae commentationes, una insignita his versiculis:

ὅρα, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ κτλ.

Scriptor hujus commentationis, praemissa disputatione de gentis Fabiae ratione et antiquitate, deinceps singulorum Fabiorum, principum maxime, res secundum temporum ordinem accurate concinneque exposuit. Rerum fontes, tam scripta veterum historicorum, quam antiquitatis monumenta insigniora, diligenter consuluit, nec recentiorum disquisitiones neglexit. In diversis testimoniis et indiciis comparandis et examinandis rectum prodit veri falsique judicium. Expositione usus est dilucida, oratione pura et limata. Sed ut his laudibus scriptio se commendat, ita desideres in ea tum eam compositionis artem, quam historica commentatio poscit, tum eam doctrinae maturitatem, quam assidua exercitatio parit. Haec tamen non impedivissent, quominus, si una haec commentatio ordini fuisset oblata, e communi judicum sententia aureo praemio digna esset judicata.

Verum et altera in certamen venit, insignita hac sententia:

μὴ μόνον τοῦ νικᾶν ἔννοιαν ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τοῦ σφαλῆναι.

Haec ut accurata tam veterum quam recentiorum scriptorum inquisitione priori nequaquam cedit, ita eruditionis copia et judicandi acumine illam superat. Quaecumque in antiquitate de Fabiis exstant monumenta, inscriptiones, numismata, scriptor studiose conquisivit diligenterque examinavit; errores tam veterum quam recentiorum, vel in rebus vel in temporibus notandis admissos, enucleate patefecit, reliquias etiam e Fabiorum scriptis superstites addidit et explicuit. Ita et Fabiae gentis stemma multo plenius quam hucusque factum erat exhibuit et multas historiae et antiquitatis partes illustravit; denique quaestionem propositam ita pertractavit, ut plus dederit quam Ordo postulaverat. Enarratio, quamquam non vacans mendis et saepe justo prolixior, est perspicua, jucunda, facilis, plus etiam laudis habitura, si scriptor et in aliis redarguendis a facetiis abstinuisset, et in suis expromendis jactationem evitasset. Sed haec vitia, ut a juvenili

16*

studio et ardore facilem habent excusationem, ita abunde compensantur ingenii et doctrinae laudibus, quibus commentatio est insignis. Quamobrem ordo huic quidem libro, cujus scriptorem esse apparuit

GUILIELMUM NICOLAUM DU RIEU,
in Academia Lugduno Batava litterarum Candidatum,

palmam decernendam, alterius autem scriptori,

ABRAHAMO GUILIELMO DE KLERCK,
in Academia Rheno-Trajectina litterarum Candidato,

secundos honores tribuendos censuit.

Pergratum mihi accidit, quod te, praestantissime DU RIEU! virtutis atque doctrinae praemio, ex Regis augustissimi summa auctoritate, possim condecorare. Ita enim rem pertractasti, ut multas historiae et antiquitatis partes illustrando, plus dederis quam Ordo postulaverat. Perge Academiae Lugduno-Batavae, ad quam victor redis, esse decus et ornamentum, atque fac ut ex industria tua fructus litterae capiant uberrimos!

Ornatissime DE KLERCK! strenue vires intendisti, nec dedecori est, tali victori te non praeripuisse palmam. Communi enim judicum sententia aureo praemio tua etiam digna fuit judicata commentatio. Quum vero singulis quaestionibus unicum aureum adsignatum sit, argenteo saltem, ex Regis Augustissimi munificentia te ornatum videre gratum ac jucundum est. Iterum in arenam descendas et primos te laturum honores confido.

Ordines Medicorum et disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ad quaestiones propositas nullas acceperunt commentationes.

Quae mihi Rectori ultima eaque gratissima absolvenda erant, peregi.

Hoc unum superest, ut te GERARDUM JOHANNEM MULDER, in proximum annum academiae Rheno-trajectinae Rectorem a Rege designatum proclamem. Sedem tibi destinatam occupa. Salve, Magnifice Rector, iterumque salve! Florente Academia regundi provinciam suscepi. Florente Academia hoc tibi trado munus. Crescat, te Rectore, haec alma Musarum sedes!

ACTA IN SENATU

A°. 1852—1853,

RECTORE CORNELIO FRANCISCO DONDERS,
SENATUS SCRIBA CORNELIO GUILIELMO OPZOOMER.

Die 26 m. Martii. Rector Magnificus CORNELIUS GUILIELMUS OPZOOMER ab amplissimo Senatu in cathedram ductus, dicta oratione *de philosophiae natura*, datum sibi successorem proclamat et salutat v. cl. F. C. DONDERS.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI CIↃIↃCCCLII, USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLIII,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

FRANCISCO CORNELIO DONDERS.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. Schroeder van der Kolk, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeërit quotidie I. L. C. Schroeder van der Kolk.

Anatomen generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam* demonstrabit P. Harting, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Physiologiam I. L. C. Schroeder van der Kolk, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII matutinâ, die mercurii, horâ IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* in laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. Donders.

Biologiam generalem exponet F. C. Donders, die mercurii, horâ XI, die iovis, horâ X.

Anthropologiam docebit F. C. Donders, inde a die XV mensis Octobris ad diem usque XV mensis Februarii, quotidie, horâ V et dimidiâ.

Pathologiam exponet B. F. Suerman, quater per dierum hebdomadem, horâ IX.

Anatomen pathologicam, his per dierum hebdomadem, I. L. C. Schroeder van der Kolk, horâ auditoribus commodâ.

Sectionibus cadaverum, in usum tum anatomico-pathologicum, tum medico-forensem, datâ occasione, praeerit quotidie F. C. Donders, horâ XII et dimidia.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. Loncq, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ II.

Pharmacologiam et *Historiam plantarum medicinalium* tradet P. Harting, die iovis, horâ XI et veneris, horâ XII.

Pharmaciam G. I. Mulder, die veneris, horâ X—XII.

Nosologiam et therapiam specialem G. I. Loncq, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. Loncq, horâ XI, in Ncsocomio Academico.

Historiam Chirurgiae exponet B. F. Suerman, diebus et horis dein indicandis.

Theoriam artis Chirurgicae tradet B. F. Suerman, quater per dierum hebdomadem, horâ VIII.

Ophthalmologiam docebit F. C. Donders, diebus mercurii et saturni, horâ I.

Exercitationibus clinicis in arte chirurgica et ophthalmiatricis, diebus lunae, mercurii et veneris horâ IX—XI, caeteris diebus horâ X praeerit L. C. van Goudoever.

Operationibus chirurgicis in cadavere instituendis qualibet oblata occasione praeerunt B. F. Suerman et L. C. van Goudoever.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. van Goudoever, die lunae horâ V—VII post meridiem.

Collocutionibus de *argumentis chirurgicis* cum commilitonibus habendis vacabit L. C. van Goudoever, die saturni horâ VI—VIII post meridiem.

Artis obstetriciae theoriam, morbos puerperarum et neonatorum exponet L. C. van Goudoever, diebus martis, mercurii et iovis, horâ XII et dimidia.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeeriti L. C. van Goudoever, diebus lnnae et veneris, horâ XII—II et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Medicinam forensem exponet F. C. Donders, inde a die III m. Septembris usque ad d. XV m. Februarii, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ II.

Politiam medicam, inde a die XV m. Februarii usque ad ferias aestivas, diebus mercurii, iovis, veneris et saturni, horâ II, F. C. Donders.

I. I. Wolterbeek, quamvis munere suo defunctus sit, civibus tamen Academicis officia humanitatis praestare, praesertim Medicinae studiosis qualibet opportunitate prodesse, haud recusabit.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. van Rees, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ I.

Mechanicam analyticam R. van Rees, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI.

Physicae mathematicae capita selecta R. van Rees, diebus martis et iovis, horâ XI.

Chemiam theoreticam G. I. Mulder, die lunae, horâ X.

Chemiam generalem et applicatam, tam organicam quam anorganicam, tradet G. I. Mulder, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Chemiam pathologicam G. I. Mulder, die veneris, horâ IX.

Chemiam analyticam G. I. Mulder, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Chemiam practicam G. I. Mulder, quotidie in Laboratorio chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. Bergsma, diebus lunae, martis et mercurii, horâ XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. Bergsma, diebus lunae et martis, horâ XII.

Anatomiam plantarum C. A. Bergsma, diebus et horis auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. Bergsma, diebus mercurii et saturni, horâ XII, duce compendio suo: *Handboek voor de Vaderlandsche Landhuishoudkunde*, ed. Trai. ad Rhen. 1842.

Excursionibus Botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. Bergsma.

Zoölogiam docebit Th. G. van Lidth de Jeude, diebus lunae et martis, horâ X.

Anatomiam comparatam Th. G. van Lidth de Jeude, die mercurii, horâ X.

Anatomen et *Physiologiam plantarum* docebit P. HARTING, diebus lunae et iovis, horâ pomeridianâ II.

Exercitationibus in usu microscopii studiis zootomicis, phytotomicis et chemicis applicato quotidie praeerit P. HARTING.

Astronomiam theoreticam et practicam quater per dierum hebdomadem tradet A. S. RUEB, Astronomiae Lector, diebus et horis auditoribus commodis.

Astronomiam popularem, bis per dierum hebdomadem, A. S. RUEB, diebus et horis auditoribus commodis.

Elementa matheseos docebit C. H. D. BUYS BALLOT, ante ferias hiemales quotidie, horâ VIII.

Stereometriam, *trigonometriam sphaericam* et *algebram* ante ferias hiemales quotidie, horâ X.

Geometriam descriptivam tradet C. H. D. BUYS BALLOT, post ferias hiemales diebus lunae, martis et mercurii, horâ XII.

Calculum integralem exponet C. H. D. BUYS BALLOT, quinquies per dierum hebdomadem, horâ XI.

Oryctognosiam exponet P. J. J. DE FREMERY, diebus lunae et martis, horâ II.

Geologiam tradet P. J. J. DE FREMERY, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ II.

Geographiam physicam docebit P. J. J. DE FREMERY bis per dierum hebdomadem, horâ auditoribus commodâ.

Exercitationibus mineralogicis praeërit P. J. J. DE FREMERY die saturni, I: III.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Philosophiae de Deo, sive *Theologiae Naturalis*, *historiam recentiorem* narrabit H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Critices ac *Criseos sacrae* leges et exempla tradet H. BOUMAN, diebus lunae, horâ IX.

Hermeneuticâ sacrâ tradendâ perget H. BOUMAN, diebus martis, horâ IX.

Jeremiae Vaticinia selecta atque alia *Hebraeorum Carmina* sacra interpretabitur H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, horâ X.

Priorem Paulli ad Corinthios explicabit H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ X.

Historiam Ecclesiae Christianae recentiorem, duce *Compendio* suo *Hist. Eccl.* Vol. II. enarrabit H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, horâ XII, et mercurii, horâ II.

Jus Ecclesiasticum Nederlandicum, imprimis hoc nostro tempore, tradet H. I. ROYAARDS, diebus iovis, horâ XII.

Theologiam dogmaticam tradet H. E. VINKE, diebus lunae, martis et iovis, horâ XI.

Collocutionibus *de Theologia populari*, cum commilitonibus habendis, vacabit H. E. VINKE, diebus iovis et veneris, horâ II.

Ethicam Christianam docebit H. I. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, horâ I.

Repetitorio s. de Historia Ecclesiastica s. de Ethica Christiana, cum Theologiae Candidatis instituendo, vacabit H. I. ROYAARDS, diebus iovis, horâ I.

Theologiam pastoralem tradet H. E. VINKE, diebus martis, iovis et veneris, horâ VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, horâ XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS et H. E. VINKE, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, horâ commilitonibus commoda, H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS et H. E. VINKE.

IN FACULTATE IURIDICA.

Doctrinam Pandectarum MÜHLENBRUCHIANAM e voll. I et II enarrabit A. C. HOLTIUS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Locum *de legatis et fideicommissis* idem horâ singulari, die saturni, horâ XII.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. J. L. DE GEER, diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, horâ VIII.

Historiam Iuris Romani tradet B. J. L. DE GEER, diebus lunae, horâ XII, iovis, horâ X, et saturni, horâ XII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. J. L. DE GEER, diebus martis, mercurii et veneris, horâ I.

Ius civile Nederlandicum docebit J. VAN HALL, die lunae, horâ XII, diebus martis, mercurii et iovis, horâ I.

Ius mercatorium et maritimum exponet J. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit J. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ X.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, praeerit J. VAN HALL, diebus lunae, horâ I.

Historiam iuris patrii Civilis exponere perget J. VAN HALL, die iovis, horâ IX.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Statisticam I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, horâ XI.

Historiam nostri temporis exponet I. ACKERSDYCK, die lunae, horâ II.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus lunae et martis, horâ VIII.

Iuris publici patrii historiam adumbrabit G. G. VREEDE, die saturni, horâ VIII.

Ius gentium Europaeum G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, horâ X.

Ius criminale, tam *Batavum* quam *commune*, docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, diebus veneris et saturni, horâ I, die iovis, horâ X.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logica docebit C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, horâ II.

Metaphysica C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, horâ I.

Shakespearii tragoediam *Macbeth* atque Göthii *carmina dramaticolyrica* et alteram *Elegiarum* partem interpretabitur C. G. OPZOOMER bis per dierum hebdomadem.

Dicendi exercitia moderabitur et selecta *litterarum recentiorum* capita explicabit C. G. OPZOOMER semel per dierum hebdomadem.

Historiam philosophiae veteris enarrabit S. KARSTEN, diebus lunae et iovis, horâ II, aliâve commodiore.

Litteras Latinas A. VAN GOUDOEVER docebit, diebus martis, iovis, veneris, horâ XI, interpretando Sallustii Bellum Jugurthinum et Virgilii l. IX. Aeneidos.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, iovis, veneris, horâ X.

Litteras Graecas docebit S. KARSTEN, diebus lunae, martis, iovis et veneris, horâ XII, interpretando selectas *Iliados* rhapsodias, Sophoclis *Oedipum in Colono*, Lysiae Oratt. *in Eratosthenem* et *in Agoratum.*

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus mercurii et veneris, horâ IX.

Litteras Hebraicas tradet I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum exponenda *Grammaticâ*, tum *huius* ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, horâ I. martis, horâ II, mercurii, horâ X et II.

Litteras cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, die martis, horâ XI, et die mercurii, horâ XII.

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Ceterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.

Litteras Belgicas et litterarum Belgicarum Historiam exponet L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, horâ X.

Praecepta Stili bene Belgici L. G. VISSCHER, diebus martis, iovis et saturni, horâ II.

Historiam gentium antiquarum, praecipue *labentis Romanorum imperii*, enarrabit S. KARSTEN, die martis, horâ I, mercurii, horâ XII, iovis, horâ I.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. ACKERSDYCK, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Historiam Patriae L. G. Visscher, diebus lunae et martis, horâ XI, iovis, horâ X, saturni, horâ XI.

Institutiones Paedagogicas habebit S. Karsten, die saturni, horâ IX et X, partim *grammatica Graeca* explicanda, partim moderandis scribendi et interpretandi exercitiis.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus die saturni habendis, praeerunt A. van Goudoever et S. Karsten.

G. Dorn Seiffen, Litt. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum quam recentiorum gentium historiae facta enarrabit, gentesque, quod ad culturae progressus, inter se comparabit, diebus mercurii et saturni, horâ XI aliâve, commilitonibus magis commodâ.

J. H. Hisgen, litterarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Litteras Germanicas et Litterarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

J. Venning, litterarum Anglicarum Lector, *Litteras Anglicas* docebit, horâ auditoribus commodâ.

L. de France, Academicus Gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis et saturni, ab horâ XII in IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab horâ I ad III, unicuique patebit. Museum Zoölogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DIE 31 M. DECEMBRIS A. 1852.

In Facultate		Theologica	205.
〃	〃	Juridica	187.
〃	〃	Medica	55.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	16.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . . .	6.
			469.

Praeterea in album academicum nomina studiosorum, in diversis Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hîc examinentur et Doctores creëntur, quorum:

in Facultate		Theologica	11.
〃	〃	Juridica	43.
〃	〃	Medica	30.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	0.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . . .	7.
			91.

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

A. 1852—1853

DOCTORES CREATI SUNT:

IN THEOLOGIA.

d. 25 m. Junii. FREDERICUS GUILIELMUS MERENS, Rheno-Trajectinus, publice defenso Specimine apologetico-theologico *de ultimorum Christi sermonum, quos refert Johannes Euangelista, authentia.*

d. 2 m. Julii. JANUS JACOBUS STRONCK, Dordracenus, publice defenso Specimine *de Matthia in Apostolorum ordinem sorte coöptato.*

IN JURISPRUDENTIA.

d. 24 m. Aprilis. CONRADUS ANNEUS MOORREES, Nykerko-Gelrus, Quaestionibus argumenti Juridici privatim defensis.

d. 1 m. Maji. HENRICUS GUILIELMUS GERARDUS RAS, Rheno-Trajectinus, Quaestionibus argumenti Juridici privatim defensis.

d. 4 m. Junii. JOHANNES FRANCISCUS D'AUMERIE, e pago Boxmeer, Quaestionibus argumenti Juridici privatim defensis.

d. 5 m. Junii CORNELIUS FOCK, Amstelodamus, privatim defenso Specimine *de polizza assecuratoria, Amstelodami in causis maritimis adhiberi solita.*

d. 17 m. Junii. GERARDUS HESHUYZEN, Amstelodamus, publice defenso Specimine *de quaestione, an is qui gaz contrectat furtum committat.*

d. 25 m. Junii. GUILIELMUS LUDOVICUS JOOST SPOOR, e pago Stratum, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 25 m. Junii. HERMANUS CHRISTIANUS JURIANUS WILLINK, e pago Winterswijk, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 26 m. Junii. OSCARUS EMILIUS VAN NISPEN, e pago 's Heerenberg, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 7 m. Octobris. BERNARDUS JOANNES HERMANUS VAN BLARICUM, Rheno-Trajectinus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 7 m. Octobris. ALFREDUS ALPHONSUS ROHLING, Guestphalus, e pago Neuenkirchen, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 11 m. Octobris. GUILIELMUS JOHANNES LUBBERTUS UMBGROVE, Amstelodamus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 27 m. Octobris. EDUARD HUYDECOPER VAN NIGTERECHT, Rheno-Trajectinus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 29 m. Octobris. SCIPIO HENRICUS VERNEDE, Rheno-Trajectinus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 30 m. Octobris. EGBERTUS ARNOLDUS ANTONIUS YSSEL DE SCHEPPER, Arnhemiensis, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 3 m. Novembris. BENJAMIN DE GROOT, ex urbe Sneek, publice tuitus Dissertationem *de circumscripta probatione per testes in causis civilibus.*

d. 9 m. Decembris. HERMANUS ROYAARDS, Rheno-Trajectinus, publice defenso Specimine *de placito: libera navi libera merx.*

d. 14 m. Decembris. LUDOVICUS GUILIELMUS ALEXANDER BESIER, Marasariensis, privatim defenso Specimine *de Sociis delinquendi.*

d. 18 m. Decembris. ALBERTUS VAN NAAMEN VAN EEMNES, Zwollanus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 21 m. Decembris. BERNHARD EGBERT SJUCH VAN WELDEREN RENGERS, e pago Ysbrechtum, Quaestionibus e Jure Romano privatim defensis.

d. 17 m. Januarii. JANUS GUSTAVUS ROCHUSSEN, Amstelodamus, publice defenso Specimine *de causis, cur in nonnullis capitibus praecipuis differat Codex civilis Indo-Neerlandicus a Codice civili nostro.*

d. 12 m. Februarii. BERNARDUS JOHANNES VAN DYK, Rheno-Trajectinus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

d. 15 m. Martii. JACOBUS PETRUS PLOOS VAN AMSTEL, Amstelodamus, publice defenso Specimine *de aestimatione rerum, quarum nomine in avariam communem contribuitur.*

d. 18 m. Martii. ISAACUS JACOBUS ROCHUSSEN, Roterodamus, Quaestionibus Juridicis privatim defensis.

IN DISCIPLINIS MEDICIS.

d. 3 m. Aprilis. Henricus Christianus Sandbrink, privatim defenso Specimine *de Susurro uterino.*

d. 28 m. Junii. Petrus Joannes van Thienen, Groninganus, privatim defenso Specimine exhibenti *Casum insignis capitis vulneris, cum notabili cerebri substantiae jactura, insecuta sanatione.*

d. 30 m. Octobris. Henricus Christianus Sandbrink, Quaestionibus Obstetricii argumenti privatim defensis.

d. 20 m. Januarii. Everardus Henricus Ekker, Rheno-Trajectinus, privatim tuitus Specimen *de cerebri et medullae spinalis systemate vasorum capillari in statu sano et morboso.*

d. 20 m. Januarii. Henricus Fabius, Amstelodamus, privatim defenso Specimine *de spirometro ejusque usu, observationibus cum aliorum, tum propriis illustrato.*

d. 21 m. Januarii. Henricus Guilielmus Cramer, Amstelodamus, publice tuitus Specimen, continens *nonnullos casus morbi Brightii, in nosocomio Amstelodamo observatos.*

d. 28 m. Januarii. Johannes Hubertus van der Meer Mohr, Goesanus, Dissertatione exhibenti *Casus morborum cerebri*, privatim defensa.

d. 11 m. Februarii. Jodocus Donkersloot, e pago Almkerken, Specimen *de Epitheliomate*, privatim tuitus.

d. 29 m. Martii. Leonardus Johannes de Roock, privatim tuitus Theses Obstetricias.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI,

INDE A DIE XIV OCTOBRIS MDCCCLII AD XIII OCTOBRIS MDCCCLIII,

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
GUIL. MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
J. A. C. ROVERS.
J. J. PH. VALETON.
J. A. C. VAN HEUSDE.
M. DE VRIES.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. NIENHUIS.
J. H. PHILIPSE.
C. STAR NUMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

A. A. SEBASTIAN (Emeritus).
J. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
J. HISSINK JANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
J. GUIL. ERMERINS.
NICOL. MULDER.
GUIL. A. ENSCHEDÉ.
P. J. VAN KERCKHOFF.

LECTOR PAEDAGOGICES.

W. HECKER.

ORATIO

DE

THEOLOGIA FUTURA, EUANGELICO-CATHOLICA,

QUAM HABUIT

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT,

QUUM RECTORIS ACADEMIAE GRONINGANAE
MAGNIFICI MUNUS DEPONERET,

DIE XIII M. OCTOBRIS A. MDCCCLIII.

VIRI AMPLISSIMI, CLARISSIMI, CONSULTISSIMI, PLURIMUM VENERANDI, DOCTISSIMI! CIVES, HOSPITES!

JUVENES ORNATISSIMI, COMMILITONES!

QUOTQUOT ADESTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Quodcunque aliorum sit aliud de temporibus, quae vivimus, judicium, hoc omnibus est idem ac commune, esse hanc magis, quam multas alias, aetatem, cum nobis tum posteris, ponderis gravissimi. Sive enim reliquas respicimus terrarum orbis partes, sive Europam, vix una est regio, quin maximis concitetur turbis et periculis; iisque non ex fortuita diei vel anni unius cura aut commutatione ortis. Sunt talia tempora, quando vel gravior terrae motus, vel pestilentia atrox, vel improvisa regis potentissimi mors, omnium ad se trahit oculos, movet animum, metum excitat, horrorem, stuporem. Quos vero subito excitarunt talia tempora animi motus, hi brevi etiam rursus componi solent. At hujus nostrae aetatis turbae nascuntur, pericula minantur, increscunt tempestates è fonte et causa, quae jam diu per nostram ingravescebant vitam, exstabant per patrum et majorum nostrorum aetatem, quin omnibus, quotquot affuit genus humanum, saeculis; quamquam non nisi rarius sic moverunt regionum plerarumque conditionem, gentium civitatem, societatem hominum, hominum animos, animos virorum, mulierum, puerorum, cultorum, incultorum, inquietorum, placidorum, uti nunc movent turbantque. Fontem vero et causam eam aut fallor aut agnosco hanc, quod in vitae periculum adducta ipsis videatur, quae tandem in omnes dominatur literarias et civiles et humanas quaestiones regina invicta — *Religio.*

Dubitatisne, A. A.? Igitur oculos in Americam conjicite, in Australiam, in Africam, ut reperiatis latibulum, ubi non quaerant incolae solliciti et incerti, num ergo Ethnicorum regnare perrectura sint vel Mohammedanorum Sacra, an regni initium captura sit Christianorum Religio; ac si horum, num ergo Romano-Catholicorum an Euangelicorum. In Asia eadem haec quaestio intus movet Sinam, ubi armis eam etiam dirimere conantur indigenae, Imperatorem vel defendentes vel aggredientes, Religionis potissimum nomine. Quaestio eadem conturbat Indiam, ubi de Religione victa lamentante Braminica triumphum in dies splendidiorem agit Christiana; item Javam et insulas Nederlandiae subjectas reliquas, Christo et litora pandentes et animum. Si Europam mente percurritis: en Turcas et Russos, ad bellum gerendum paratos, inter populos hosce e Religionis potissimum cura ortum; en Graeco-Catholicos et Romano-Catholicos multis locis acriter inter se pugnantes; en Germaniam, Italiam, Franciam, Britanniam civilibus quidem studiis et factionibus, sed magis etiam sacris distractas; en patriam nostram, ubi nescio, utra altiorem nunc edat vocem, Civitas an Ecclesia: hoc scio, Religionis longe interius et vehementius esse studium, quam Civitatis Patriaeque ipsius.

Laudare haec nolo omnia, minus etiam vituperare; modo citare volebam, ut hoc tolleretur dubium, an revera sit Religio, quae, uti semper hominum implet animos, sic nunc civitatium fundamenta concutiat; an Religio magis, quam ulla alia causa.

Quae quum sit temporum nostrorum conditio, eaque per longam annorum seriem nondum ad quietem perduci possit, pudeat Religionis interpretem et theologiae doctorem, eam non contemplari, in hoc intentum, an forte nisi aequalibus, saltem posteris morbi gravissimi medicina inveniri possit salubris.

Nec tamen eâ putetis me laborare arrogantiâ, ut hanc medicinam invenisse ipse mihi videar. Neque eam reperi ipse, neque aliquo opus est viro sagaci, qui eam quaerat et detegat. Adest enim, omnibus harum rerum peritis nota. At omnibus, peritis imperitisque, eam commendare, ostendere, explicare omnino adhuc est opus; quod ego etiam agere tantopere studebam, ut nihil magis optarem, quam hac de re a multis attente audiri dicentem et juste judicari.

Ergo his solennibus verba facturo aptum mihi videbatur et utile, si de temporum nostrorum agerem salute, facile comparanda, modo occasione uti velint homines. Neque tamen omnia complecti potui, quae huc pertinent. Nam de iis dicere, quae magistratum aut plebem hisce diebus deceant, ab hac opportunitate alienum putavi. Doctos modo adspecturus viros juvenesque eruditioni operam dantes, agere constitui *de Theologia futura*, *Euangelico-Catholica*, morbi praesentis medicina.

Hoc argumentum sic exponere conabor, ut primum explicem, quid haec ipsa sit Theologia futura, Euangelico-Catholica; deinde, num haec vere sit exspectanda; denique, quid nobis sit faciendum, ut citius appropinquet.

Vos autem, A. A. honoratissimi! rem expositu mihi difficilem, sed vestra meditatione dignissimam, explicanti auribus linguisque favete!

I.

De Theologia futura, Euangelico-Catholica, dicturus, primum quaero, *quid haec ipsa sit*, sive, quale orationis meae argumentum.

Non loquor de *Ecclesia* futura. Sane haec etiam erit aliquando una *Catholica*, ubivis omnes complectens homines, quia erit *Euangelica*, ad Euangelii composita normam. Verum ut talis nascatur Ecclesia, opem afferre insignem possit ejusmodi *Theologia*, de qua sola nunc agere constitui.

Theologiam tamen unam eandemque non exspecto hoc sensu, ut unquam uniformis et unimoda oriatur de Religione sententia et doctrina, sed ut haec fiat tandem unanima, uno eodemque spiritu vere divino animata, spiritu autem eo, cujus dona, verba, ministeria sunt multa ac multiformia.

De qua Theologia loquor *futura*. Praesens enim nondum adest, quamquam non tanto distat spatio, ut cerni non possint ejus praesagia et indicia levia. Ego vero non vatem ago, qui tale quid etiam affore proclamat, quod vulgus profanum latet oculosque etiam doctorum acutos fugit: speculator sum, qui turri escensa, quid appropinquet, cernit ac distinguit, antequam id videre possint, qui in altum non escenderint, et sum praeco, qui quod cernit, reliquis annunciat, ut ipsi quoque cernant et re laetissima appropinquante gaudeant, advenientem excipiant grati, praesentem in reipublicae salutem communicent aliis.

Hoc igitur sensu de Theologia dicturus sum futura: de ea vero *Euangelico-Catholica.*

Catholicum a Christianis fere dicitur, quod aut jam complectitur, aut saltem aliquando complectetur omnes, qui in terris sunt, populos hominesque. Neque ego strictiori, sed latiori etiam intelligo hanc vocem sensu. Catholicam innuo Theologiam, quae una omnes inter se conjunget Protestantes, ita ut Reformatorum, Lutheranorum, Teleiobaptistarum evanescant nomina. Porro his adjunget, qui se nunc jam dicunt Catholicos, at non adjecto epitheto, quo ego utor, Euangelico, verum Romano- et Graeco-Catholicos se appellant, quod nomen sic emendandum est, ut hi cum reliquis illis sese simul dicant Euangelico-Catholicos. Neque tamen hîc subsistet haec Theologia. His Christianis conjunctis addet Mohammedanos, qui Prophetae suo laudabili anteponent unum perfectum Dei Filium Jesum Christum. Addet Judaeos, Mosem honorare pergentes, verum sic ut Mosi praeferant, cui hic viam praeparavit, Messiam verum. Addet Gentiles omnes, qui idolorum loco ligneorum et lapideorum, quae Dei O. M. speciem aliquam et umbram ipsis referre videntur, vivam venerabuntur Dei Patris coelestis imaginem perfectam.

Neque tantum externa hac amplitudine Theologia futura erit Catholica: erit etiam vi sua et praestantia interna. Vera enim illa, quam auguramur, Theologia non doctrinae modo inserviet ornandae scholaeve amplificandae, sed vitae omni humanae purgandae viriumque humanarum omnium conspirationi excitandae et promovendae. Rationi inserviet, ita ut haec in illa acquiescat sana ac pura notione et idea Dei, hominis, hominisque cum Deo conjunctionis, quas exhibet Theologia ea. Inserviet sic animo, ut hic nihil potius quaerat, quam cum eo conjungi Deo, quem in Jesu Christo Patrem coelestem novit cuique se liberorum gratissimorum affectu tradere et consecrare studet bonus quisque. Voluntati inserviet totique vivendi rationi, quae, hac Theologia duce, eo tendet, ut Dei in dies similior fieri cupiat ac conetur homo, Patris coelestis filius. — Hanc vero hujus Theologiae praestantiam et efficacitatem persentient non modo culti, docti, nobiles; sentient etiam et in se experientur rudiores, viri feminae, pueruli senes, divites pauperes. Divina enim in hominibus servandis gratia per

eam patefiet tam luculenter et simpliciter, ut hanc nemo non possit intelligere et in usus suos convertere velit.

Video vultus subridentes; audio hominum sapientum dubia. „Fabulam narras," inquiunt; „quam fabulam esse, aut ipse jam novisti, aut brevi experieris, ob credulitatem tuam mox misere querulus."

Fabula non est, quam narro, A. A. Quod dico verum est et certum; quamvis neque nos, neque liberi nostri, sed posteri modo, procul adhuc remoti, rerum harum eventum atque veritatem cernere et experiri poterint omnes. Etenim Theologia, de qua verba facio, est *Euangelico*-Catholica, i. e. ex Euangelio petita et spiritu Euangelii imbuta. Non dico eam Biblicam; nam etsi e Bibliis ducitur sacris, tamen non ex omnibus pariter Bibliorum libris petitur, verum ex praecipuo Bibliorum argumento, Euangelio, Patriarchis promisso, Israëlitis ostenso, Christianis dato. Hoc vero Euangelium non est legislatio quaedam civilis, diversis temporum conditionibus semper accommodanda; non est doctrina moralis, gentibus hominibusque aliis aliter tradenda; non est dogmatum sacrorum corpus, e philosophiae progressibus pendens; non est philosophia, cum generis humani cultu sensim majori ulterius semper explicanda. Est aliquid longe sublimius, amplius, efficacius. Est bene intelligendi, sentiendi, vivendi stimulus ac principium; est novae coelestisque in terris vitae agendae pabulum opimum; est aër et afflatus e coelis in terras spirans; est institutio generis humani divina, ut divinum fiat ipsum; est vis e Deo profecta ad salutem comparandam destinata unicuique, qui id cupide audit, grate excipit, fideliter amplectitur. Etenim hoc Euangelium nuncius est de Dei Filio, Dei imagine, hominis typo, generis humani amico, e peccatis servatore, ad coelos duce, adhuc vivo et regnante, tam simplex, verus, gratus, jucundus, laetus, ut ad omnes perlatum tandem eum audire debeant et velint omnes omnino homines, etiam qui nunc adhuc aut sunt tardi, hebetes et surdi, aut, aliis negotiis, gravioribus, ut putant, intenti, se Euangelio illo, plebi forte non sine causa commendando, carere posse opinantur, quippe docti et sapientes atque eruditionis sublimioris participes. His etiam ipsis Euangelium sese ostendet magis magisque quod est, donum, quo nullum melius Pater coelestis, ad omnium salutem, est largitus, donum, quo usi

omnes feliciter res suas agant, vivant bene, beate moriantur, in coelis semper degant beati. Cui Euangelio sempiterno quae innititur Theologia, citius tardius certo orietur.

Haec est Theologiae futurae Euangelico-Catholicae, de qua dicere jam incepi, adumbratio, lineis paucis efficta, ut qua de re agam, rite intelligatis, A. A.

II.

Jam vero ad alteram orationis partem pergo, qua inquiram, *num haec vere sit exspectanda.*

Quod ut mecum agatis, oculos, si placet, conjicite, A. A., in hominum omnium ingenium ac destinationem, in aequalium nostrorum multorum studia ac vota, in Dei O. M. consilium et regimen.

Ingenium nostrum et naturae nostrae destinationem si intuemur, hoc inprimis statim sese conspiciendum offert, suâ non vivere homines sorte hac terrenâ contentos. Nempe pasci, dormire, pullos procreare, mori, animantium ipsis videtur esse reliquorum; aliud quid postulare facultates viresque hominibus concessas, aliud quid istis rebus vilibus longe superius; imo sempiterni, perfecti, divini quid; nempe hoc, Dei esse similes, Dei in dies similiores, cum Deo intime conjunctos.

Neque hoc est paucorum studium, scilicet cultissimorum; est omnium, qui homines se esse sentire incipiunt. Ubique enim reperis Religionem, utut impuram, tamen Religionem, i. e. sese cum Deo conjungendi studium et conamen. Sunt gentes adhuc tam parum cultae, ut agriculturam non noverint, nec legislationem, neque civitatem bene constitutam, ut cibo utantur, a brutorum pastu parum discrepante, vestes sibi vix fabricentur, speluncas et casas potius habitent quam domos. At ne vel sic quidem iis deesse Religionem, cernitis. Aedificia reliquis vetustiora ubique videtis — Deorum templa; solennia antiquissima ubique — Deorum sacra; dona omnium prima — sacrificia in aris Deorum oblata. Ubi autem Religio vel paululum explicatior adest, ibi quoque in ea prodit studium similitudinis cum Deo sensim majoris comparandae. Reperitis hoc studium apud

Graecos Romanosque et Israëlitas, sed etiam apud Aegyptios, Indos, Sinenses. Eam voluit similitudinem divinus ille Plato, philosophus primarius, voluit etiam Zoroaster, Religionis phantasiâ superstructae auctor, voluit quoque Confucius, doctrinae moralis ejusque civilis conditor.

Major vero quum sit res et gravior, quam quae istis comparetur mediis, quibus solis frui poterant illi, hanc, quam desideriis, suspiriis, votis, ideis prosequebantur omnes illi Antiqui, assecutus est eorum nemo. Quare tandem humani generis, rite a se praeparati, cupidini satisfecit Pater coelestis, in terras mittendo Jesum Christum, qui expleret, quod toti deerat antiquitati, suamque ipse perfectionem divinam communicaret cum omnibus, qui ipsi se tradere vellent. In communione igitur cum Dei Filio ineunda jam mentis sitim exstinguere possunt omnes et animi explere desideria ac vota; quin et in ea reperire sibique comparare plura, quam vel audacissimâ sibi fingere et optare potuerant poësi et philosophia.

At audio, quod objicis: ab hoc Dei Filio, qualem Euangelium nobis exhibet, salutis supremae auctore, descivisse Christianos omnes; antiquas ab his repetitas esse sordes; alios in lege, Mosaicae non dissimili; alios in hierarchia Aegyptiaca quadam nova; in operibus, quae bona dicebant, Indorum cruciatus referentibus, alios; alios in orthodoxia, i. e. in placitorum auctoritate constitutorum assensione, Religionis Christianae posuisse consilium et vim praecipuam; quin etiam nunc inter hos, qui illa omnia alto rejiciant supercilio, paucos modo esse, qui dogmaticam non adament solam, sic agentes, ac si ideo vixisset, docuisset, mortem esset passus Dei ille Filius, ut, loco mythologiae et philosophiae antiquae, nunc dogmatica regnaret, illis paulisper purior.

Non negabo, verum esse quod innuis, nempe ab his omnibus obscurari et pene sepeliri vere coelestem et divinam religionis Christianae vim, hominum ingenio ac destinationi satisfacere cupientem et conantem, sed in conatu generoso exsequendo misere impeditam peccato, errore, arrogantia humana. Attamen idem manet ingenium illud humanum, ad similitudinem cum Deo comparandam destinatum; manet semper idem, semper postulans, ut desideriis et votis suis aliquando satisfiat. Ergo tandem videbit genus humanum, aliud esse Euangelium, alium diversissimum hunc modium, quo homines ejus lucem obtegere sunt soliti; alium esse Jesum Christum,

verum et simplicem Dei Filium prorsus humanum, aliud dogmatum de eo in Ecclesia ventilatorum, saepe absurdorum, corpus; tandem homines Euangelium intelligent videbuntque, in eo ab ipsa benigna Patris coelestis manu exhibitam esse omnium animi humani morborum medelam, expletionem desideriorum, destinationis humanae consummationem.

Nimirum, quod olim fiet, ejus jam adsunt vaticinia et praesagia. Aequalium modo nostrorum multorum respiciatis studia ac vota. Stultitiam intelligunt et pravitatem illorum conaminum, quibus ingenium humanum contegere et opprimere atque Euangelium hominibus celare et eripere student haud pauci. Taedet eos et pudet, de sancta illa religione profanis disputari studiis, nec deesse vel nunc, qui a se dissentientes, ac si criminis gravissimi sint rei, vel corporeis puniri velint suppliciis, vel calumniis et injuriis petant turpibus. Nolunt jam diu libellos de Ecclesiae conditione et litibus theologicis editos legere, quin et saepe conventus Christianorum frequentare negligunt atque Euangelium ipsum inquirere omittunt, quia illarum disputationum sunt pertaesi. Qua in re nimium hoc minime laudo, sed vehementer improbo; attamen in his etiam hominibus, quatenus hi nempe Religionem omnem non contemnant vel impii vel superbi vel tardi, hoc equidem observo, esse aequales nostros multos eo usque progressos, ut in iis Religionis involucris et impedimentis Religionem agnoscere merito amplius nolint.

Quos hactenus laudans, in recta versari dicerem via, si jam ex involucris et impedimentis humanis rem ipsam divinam in lucem traherent, ex lege, ex hierarchia, ex operibus externis, ex orthodoxia, ex dogmatica subtili — *Euangelium*.

Hi vero si quidem hucusque procedere negligunt, sunt tamen alii, qui, sibi constantes, ingenue, fortiter, sagaciter Euangelium sibi sumant inquirendum. Quod enim nunc in omnibus cernitur disciplinis et artibus tractandis studium, ut ad sua revocentur principia, unde profectae sint: idem in Religione Christiana jam quoque vigere incipit. Vultisne documentum? Nulla pene ex omnibus societatibus beneficis, quibus abundat aetas nostra, tot tantisque gaudet hominum laudibus et auxiliis, quam quae inservit Bibliis parvo vel nullo pretio spargendis, commendandis, explicandis; nec modo inter nos Europaeos, verum inter omnes terrarum

orbis gentes, ita ut etiam in eas reddantur linguas, in quas numquam sunt versa neque ullus saepe adhuc liber est editus. Qua in re duo animadvertatis, A. A.; alterum, adesse ergo Religionis Christianae propagandae fervorem tantum, quantus numquam hucusque inter Christianos affuit; alterum, Christianos in hac Religione propaganda nunc nullis potius uti armis telisque, quam Bibliis spargendis, reddendis, interpretandis. Igitur duo constant: vidisse Christianos multos nulla aetate in Religione sua tam consummatum salutis humanae remedium, quam hac nostra; nulla etiam aetate hujus Religionis fontem unum purum tanto rivulis omnibus praeposuisse honore, quam nostra hac.

Jam vero hoc Bibliorum omnibus hominibus exhibendorum studium non poterit florere, quin etiam crescat haec omnibus persuasio, Euangelium, quod in his libris adest divinum, nullis commaculandum esse inventis et figmentis, ex arte humana natis; idemque hoc Euangelium non esse datum, de quo disputent et ob quod sese invicem condemnent homines, sed datum, ut secundum id vivant, ut, qui in eo oculis nostris exhibetur conspiciendus, Jesus Christus, vivat in hominibus omnibus, per hunc Dei Filium peccato liberandis et ad similitudinem cum Deo adducendis.

Profecto, A. A., haec jam sunt aequalium multorum studia ac vota; haec in dies fient plurium; haec tandem aliquando hominum omnium.

At multi vestrûm me jam iterum non habent nuncium et praeconem rerum praesentium vel jamjam futurarum; sed vatem, eumque vanum, quippe res numquam futuras praedicentem. Ipse vero me neque vatem scio esse, neque vanum rerum nuncium. Etenim nec sola innitor hominum indole et destinatione, neque huic respondente aequalium nostrorum studio et desiderio, verum etiam Dei O. M. consilio et regimine.

Qui in lucem edidit Pater, is etiam olim genus humanum curavit, nunc curat, curabit semper, ut, quo consilio hoc genus nostrum, ipsius simile, condidit, eidem quoque in dies magis respondeat. Consilium vero hoc nullum potest esse aliud, nisi ut similitudinem cum Deo, quam facultate et vi habemus inde a natalibus, potentia et actu quoque nobis comparemus magis magisque. Quod ut fieri possit fiatque revera, perfectum

illum nobis dedit hominem, Filium suum, qui nos, peccati culpa miseros, Dei gratia largienda, consoletur; peccati contagio aegrotos, sua sanitate communicanda, restituat; errori et illecebris mundi facile succumbentes, virtute et sanctitate sua sustentet; rerum terrenarum amore captos, amore suo Divino ad se et Deum revocet: verbo, qui nos filios apertis reddat Patris brachiis, ut, in sempiternum cum Patre conjuncti, sanctam et beatam vivamus vitam, jam in terris coelestem.

Neque paucis haec hominibus promit et ostendit bona summa, verum omnibus; quaeque a paucis huc usque laete accipiuntur, haec omnibus olim placebunt et grato fovebuntur animo. Nam, aut fallax est qui semper vera loquitur, aut olim ad se attrahet omnes, omnes nunc peccato, errore, stultitia ab ipso remotos; qui omnes sub ipso, Pastore bono, aliquando unum constituent gregem, omnes intime juncti cum ipso et per ipsum inter se ac cum Patre coelesti. Quae futura gentis humanae totius harmonia et unio nunc quidem longe abest, ut jam adsit; tamen futura est, aderitque olim certo. Nam qui hanc vult, Deus est omnipotens. Cui te semper resistere posse, quid tandem tibi fingis, homuncio debilis? Nunc forte putas, te vel rei familiari augendae, vel civitati bene curandae, vel artibus pulcris colendis, vel doctrinarum copiae conquirendae vitam impendere posse totam? At animus tibi inditus est irrequietus, donec requiescat in Deo. Cujus vocem et desiderium si tu ignorare velis, ecce Deus est, cui adversaris. Nunc conquisitam tibi eripiet pecuniam, nunc castigabit te morbo, nunc sepulcro injiciet amicos, liberos, uxorem, nunc mundi te sinet experiri odia et calumniam, ut te hîc esse hospitem et coelorum civem persentias. Sic bonorum terrenorum loco et tu et tandem omnes quaerent Religionem, intimam cum Deo conjunctionem. Ergo fient religiosi. At Religionem experientur nullam esse puram, nisi ubi perfectus ille Dei Filius nos Deo conjungit totos. Ergo Christiani fient. At immaculatam hanc Religionem videbunt esse in Euangelio solo. Ergo Euangelici fient Christiani, ut per Jesum Christum, qualem ipsius vitae et personae imaginem exhibent documenta antiqua germana, similitudinem sibi comparent cum Deo veram, in qua sola est quies ac salus in terris coelisque.

Quod igitur ingenium nostrum ac destinatio, quod aequalium multorum

studia ac vota, quod ipsius Dei consilium et regimen postulant, id certo futurum exspectamus: omnes homines tandem venturos esse ad Euangelium, sapientiae, virtutis, religionis, vitae fontem perennem; missuros esse aquas illas impuras, quibus nunc animi sitim explere conantur multi; Religionis doctrinam sive Theologiam ergo tandem fore omnibus communem sive Catholicam, quae ex Euangelio petitur, id est, *futuram esse Theologiam, Euangelico-Catholicam.*

III.

Utinam vero jam adesset! Adesset Dei illa Filia, quae procul adhuc abest!..... Quamdiu aberit etiam nunc? Deusne dabit, ut, si hanc nostris non cernamus nos diebus, saltem posteri nostri videant suis?

Quid Deus acturus sit, latet, A. A. Latet ideo inprimis, quia nescimus, quatenus cum Deo operam daturi sint homines, ut sublime illud, cui destinati sunt, consilium assequantur. Quaecunque vero aliorum vel praesens vel futura sit culpa, ne sit nostra. Videamus, *quid nobis agendum, ut appropinquet* magis magisque *Theologia illa futura, Euangelico-Catholica.*

Primum igitur videtur hoc faciendum, ut Theologiam hanc esse futuram, certo speremus, firmiter confidamus, alte pronunciemus. Sperare in rebus dubiis et incertis, magni est animi; confidere, ubi animi constantiam et quietem amittunt multi, decet hos, qui Deum noverunt Patrem; pronunciare, quod vulgi opinionem superat, sed verum tamen est certumque, horum est, qui reliquis hominibus exempla et duces esse debent. Atqui vos, Viri eruditissimi Juvenesque, doctrinae excolendae addicti! magno decet esse animo, vos, Deum nosse Patrem, vos in cultûs et humanitatis propagatione antecessores esse et magistros. Sitis, quales esse debetis; pulcro, vero, bono promovendo vires impendatis vitamque; omnium maxime huic, quae est omnis pulcri, veri, boni fastigium, vos detis, *Religioni;* cernatis, Religionem esse nullam omnino veram et hominibus prorsus salutiferam, nisi Christianam, nullamque, quae hanc interpretetur, Theologiam puram, nisi Euangelicam. Sic omnibus hominibus magis magisque nascetur haec eadem opinio, sententia, persuasio. Sic regnare incipiet Theologia Euangelica.

Alterum, quod ab omnibus videtur agendum, hoc est, ut neminem ob sententiam, quam de rebus religiosis habet, damnent, quod omnino est anti-Catholicum. Quod vero vos rogans, hoc nolo, ut quisque, me judice, sibi vivere possit, sive verae, sive falsae addictus Religioni, sive nulli. Imo, qui homo homines amat, hoc ferre nequit, vel unum minus esse felicem, quam esse possit. Omnium igitur salutem promoventes, quatenus et quomodocunque hoc agere valeamus, id velim, ut nullam Ecclesiam ac Theologiam Ecclesiae alicujus nullam, earum quae adsint, habeamus perfectam, nullamque ergo proponamus ac laudemus, quam sequantur omnes. Fragilitatis, vitii, erroris nostri nobis conscii, hoc unum quaerere debemus ac praedicare et commendare omnibus, ut viribus conjunctis semper melius quaeramus dignoscendum, quodcunque verum est, bonum ac divinum. Ineptum ergo sit, ei indulgere aequalium multorum peccato, ut damnando ob sententiam, cui in Religione adhaerent alii, alios hosce a nobis rejiciamus et excludamus, atque impediamus, quominis sese emendent et virtute ac sapientia, quam nobis putamus adesse, et illi crescant.

Hac vero in re agenda alia paulisper sunt aliorum negotia et officia.

Primum alloquor Theologos Christianos. Nos, Collegae, Commilitones, Theologi reliqui! ne metuamus caeterarum doctrinarum progressus, sed hos optemus. Sunt quidem adhuc in aliis regionibus tempora, fueruntque olim hîc quoque, quum oculis malignis et torvis Theologi respicerent Jureconsultos, Medicos, Philosophos, omnium maxime Physicos, quippe doctrinae suae hostes, veri luce castella theologica, intuitu magnifica, sed e chartis modo et foeno exstructa, concrematuros. Nos vero ne doctissimos hos viros, rerum civilium, moralium, physicarum scrutatores, vereamur hostes, sed, ut agimus, amplectamur amicos. Verum quaerunt, prouti nos; ergo nos adjuvant. Etenim verum non est duplex vel triplex; simplex est et unum. Quod veri luce et flammâ concremare possunt, id in aedificiis nostris fragile est et nullius pretii. Neque igitur metuamus, sed gaudeamus, si lumine veri, quod invenerunt, comburant quicquid in castris nostris non est marmoreum, aureum, perenne. Dum perit, quod igni temporique resistere aeternitatemque perferre nequit, stabit inconcussum templum veri,

imo eo lucebit splendidius, quo magis evanuerint septa sordida humana, templum divinum obumbrantia.

Vos vero, reliqui Eruditi! ne negligatis Religionem, quod cum alibi tum et in patria nostra nonnulli solent, nec spernatis cum his Euangelium. Nos, Theologi, vestram honoramus doctrinam, vos, ne sitis injusti, nostram contemnentes. Audacius dicam: ne sitis inepti vobisque hostiles ipsi. Est enim commune omnium doctrinarum vinculum omniumque artium et disciplinarum, quae ad humanitatem faciunt, cognatio et harmonia. Hinc Universitates, omnibus simul docendis et discendis destinatas, condiderunt Proavi sapientes, atque in his primum assignarunt Theologiae locum. Quem, si ulla, meretur disciplina nostra, quatenus est nulla alia, quae ita ad humanitatem omnem explicandam tendit, uti Theologia Christiana. Haec enim unam interpretatur Dei patefactionem perfectam, in Jesu Christo nobis datam, in qua omnium optime cernere potestis, qualis sit natura nostra humana, quibus gaudeat virtutibus divinis, qua via has re et facto nobis comparare possimus singuli, quid vere sit bonum et pulcrum, quo animatus spiritu in sua quisque disciplina et arte longe optimos faciat progressus. Nullae igitur gentes tam egregie excoluerunt, quaecunque ad humanitatem pertinent, artes et doctrinas, quam Christianae, atque in gentibus Christianis eo magis reliquis antecelluerunt nonnullae, quo Euangelium hae noverant purius. Huic Euangelio inprimis Lockius et Leibnitzius suam in philosophia excolenda debuerunt praestantiam; suam Hugo Grotius in jure explicando et condendo virtutem unicam; Boerhavius in medicina, Keplerus in astronomia, Newtonus in physica tractanda et amplificanda industriam, simplicitatem, constantiam, perspicaciam. Hos nempe aliosque innumeros, etiam eos, qui id non agnoverunt vel et negarunt, haec nostra Religio cum liberavit impedimentis in sua quemque doctrina inquirenda et exponenda, in civitate et societate objectis, maximis; tum excitavit, ut studio indefesso in Dei honorem generisque humani salutem vitam vero darent explorando; tum denique illustravit, ut verum discernere ubicunque longe melius valerent. Etenim sol est unus in mundo intelligibili hic Jesus Christus, quem ex Euangelio novimus, sol qui lucet, qui calefacit, qui animum spiritumque nobis indit et excitat,

in civitate, in artibus, in doctrinis, in virtute, in vita vitali omni. Quare vel in ipsarum doctrinarum et artium omnium feliciter excolendarum gratiam hoc spero fore, ut Eruditi omnes luce utantur vere divina, in Euangelio ipsis splendente.

Omnes vero etiam vos, A. A., precor, quatenus Nederlandi estis, ut Theologiam futuram adjuvetis Euangelico-Catholicam. Hoc enim ut agat, ab ipso Deo electa videtur gens nostra, quae tum inprimis officio suo respondebat suasque explicabat vires, quum placide, fortiter, constanter Euangelium et ex Euangelio petitam Theologiam mundo commendaret. Haec placuit Gerhardo Magno, primo inter nos scholarum bonarum conditori, haec Wesselo Gansfortio, aeterno soli Groningani ornamento, haec Angelo Merulae et Huberto Duifhuis, Reformatoribus vere Nederlandicis, haec Erasmo et Hugoni Grotio, quibus doctiores et mitiores et Euangelii studiosiores nec tulit Nederlandia, nec terrarum orbis. Haec Theologia Euangelica in his regionibus originem dedit Teleiobaptistarum et Remonstrantium Ecclesiae familiis, pacis, libertatis, virtutis, pietatis amantissimis. Haec Theologia, per tria saecula a Lutheranis et Calvinistis, zelo et invidia plenis, hîc suppressa et in angulos coarctata, utinam in aetatis nostrae libertate et lumine se expandat et fiat — Catholica!

Denique vos alloquor, quatenus Aequales nos sumus eamque cernimus in orbe omni contentionem, rixam, pugnam, quae ab Ecclesia in Religionem, ab utraque in res civiles et sociales omnes, atque in totam profluit Rempublicam, ibique commovet omnia, et concutit et conturbat ac pene exitium omnibus minatur et interitum. Quae animorum concitatio et conturbatio rerum nunc tanta est, ut perito cuique historiae generis humani scrutatori haec videatur stare sententia certa, duo tantum fuisse genti humanae tempora, nostris similia, aetatem dico Constantini et Lutheri, qua utrâque Religionis quaestio etiam internam movebat Civitatem totam, atque ex ea quaestione agitatâ et diremtâ Civitatis, Societatis, Ecclesiae, Humanitatis, Religionis profecta est conditio nova longe longeque alia. Quamquam etiam discrimen intercessisse omnibus constat, nempe hoc, quod Constantini aetate imperii modo Romani, Lutheri aevo Europae solius

ossa, nervos, medullam haec penetraret de Religione quaestio: nunc generis humani pene totius corpus animumque.

O nos felices, si faciant aliena pericula cautos! Re enim inquisita mecum consentietis, A. A., neutrâ illâ aetate factum esse, quod fieri debuerat. Neque enim ad generis humani salutem suffecisse, historia docet, Civitatem et Ecclesiam a Constantino mixtas et orthodoxiam rituumque copiam introductam; neque sat egisse doctrinam novam a Luthero annunciatam, Civitatis et Ecclesiae separationem, abhinc ortam, atque Ecclesiae divisionem in Romanam et Romanae contrariam. Opus jam tum fuerat *Euangelio*, simplici, vero, divino, omnibus aperto, omnibus commendato, Euangelio uno. Ac si nostra respicimus tempora, Aequales! caveamus, ne Euangelio negligendo Constantini et Lutheri repetamus errorem, mundo letalem. Hoc enim facile constare nobis poterit, neque Ecclesiam Romano-Catholicam nostra et futura aetate in orbe fore victricem, neque Ecclesiam Reformatam aliamve Protestantem; impuras nempe omnes, emendatione et perfectione egentes. Melior ergo orietur Ecclesia, Ecclesia nova Euangelica, quae mala sunt in singulis Ecclesiae familiis rejiciens, bona conservans et ulterius explicans, secundum unum illud Euangelium aeternum divinumque. — Haec Europae turbatae et mundi quassati est medicina, haec una.

Brevi orationis meae sententiam contraham omnem. — Experientia, sapientiae magistra, et doctrinarum artiumque progressio ostendunt, indigere mundum nova Theologia, omnibus communi futura, ex Euangelio petendo. Haec Theologia ergo nascetur et crescet; adjuvabit egregie Religionem, ut, rejectis erroribus et vitiis antiquitatis, pietatem modo colat, virtutem, sapientiam, similitudinem cum Deo. Haec Religio purgabit Ecclesiam, ut servato *ordinis* et modi studio, quo eminet Ecclesia praesens Graeco- et Romano-Catholica, ac servato etiam *libertatis* et progressionis amore, quo excellit Ecclesia praesens Euangelica, tandem hoc solum sibi propositum habeat, homines illustrare, emendare, perficere. Ecclesia denique talis vere Euangelica nihil a Civitate postulabit injusti, neque ei

imperare studebit, sed eam animare, adjuvare, sustentare, amicam et sororem, ejusdem Dei filiam.

Futura est haec rerum conditio; nam mentiri aut vana promittere nequit natura ipsa nostra Deusque illius naturae auctor rerumque omnium gubernator. Sed ab hominibus pendet, Deo aut obsequentibus aut resistentibus, vel quamdiu adhuc sit futura, vel quam prope adsit praesens. A nobis etiam pendet, Viri Juvenesque eruditi, Nederlandi, Aequales! Nos judicabit posteritas, an in hac nostrae aetatis luce et libertate, temporum priorum experientia edocti, nihil effecerimus firmius, certius, rectius, quodque temporum vicissitudines melius perferre possit, quam quod Constantini aetas vel Lutheri nobis reliquit. In dogmatum, in orthodoxiae, in rituum, in hierarchiae studio bis disparuit fulgida diei splendidi aurora, cujus ortum coelicolae gratulabantur laeti. Caveamus, quatenus a nobis pendet, ne tertium accidat idem, ne de nobis majori etiam jure, quam nos de proavis, querantur posteri, de nobis, tardis, languidis, meticulosis, etiam queramur aliquando in vita altera nos ipsi.

Jubet hujus diei ratio, ut de Academiae, me Rectore, fatis aliqua adjiciam. At, quod laeti est augurii, pauca modo habeo. Neque enim, quod rarissime, si unquam, accidit, vel aliud quid luctuosi affuit, vel unum e Curatoribus, Professoribus, Studiosis morte amisimus.

Familiae etiam regiae nullum accidisse malum, impense gaudemus. Viget floretque Rex, eodem, quo anno superiore in hac nostra urbe, nunc exceptus honore et amore in aliis patriae regionibus; quin et eo semper majori, quo magis sese ostendisse habetur stirpe Arausiaca nobili majoribusque inclytis dignus.

Regnet diu adhuc Princeps integer, boni studiosus, literarum artiumque fautor, aureamque illam redire faciat Musarum aetatem, quae, ipsius proavo Frederico Henrico Gubernatore, in his regionibus florebat.

Haec in praesenti regni hujus conditione felici redire poterit; verum ut redeat, alia esse debebit reipublicae civium et rectorum de doctrinis et literis existimatio, quam quae per viginti fere hosce viguit annos. Profecto literarum artiumque, injuria et contemtu tractatarum, ea nunc jam diu in patria fuit conditio, ut pudore oculos dejiceremus, quando extranei de Universitatibus nostris et de publica institutionis Academicae doctrinarumque cura nos interrogarent. Nolo repetere, quae vobis omnibus sunt notissima: Universitatum subsidia angusta etiam imminuta esse, ita ut neque Musea, neque Bibliothecae, neque literarum et institutionis praesidia reliqua sic augeri possent, prouti opus erat, vel etiam contra temporis injuriam defendi; annales Academicos esse suppressos; studiosis omnibus negata esse certaminis literarii praemia; juvenibus pauperibus nunc ademta esse stipendia publica, cujus parcimoniae avarae nunquam, ni fallor, affuerat exemplum per duo et quod excurrit saecula, quibus exstabant Universitates nostrae; omnibus apertas esse Academias, sine examine ullo intrantibus, imperitis, rudibus, puerulis, opificio, quam literarum curriculo, aptioribus. Quam Universitatum sortem literis artibusque omnibus communem esse, docuit Instituti Regii Nederlandici, pecunia necessaria destituti, calumniis onerati, proterve exstincti exitium, his, qui illud attulerunt, turpissimum. Sed aliquatenus emendata est rerum conditio. Primum ipsorum Professorum, tum Regis Augustissimi liberalitas certamen literarium restituit; anno superiore aliqua rursus reddita est pecunia, qua pauperes subleventur juvenes, qui brevi forte Civitatis et Ecclesiae ornamenta sunt futuri; nuper hic suus redditus est Universitatibus honor, ut nemo nunc, nisi examine praevio probatus, graduum Academicorum comparandorum causa, eas adire possit.

Sed longe plura sunt agenda, quae vobis inprimis commendamus, Viri Amplissimi, Academiae Curatores! Sane neque Vobis, neque his, qui antea Collegio vestro erant adscripti, eum tribuimns literarum contemtum, de quo querebar; ducimus eum e terrenis aetatis nostrae studiis. Curatores vero jam diu experti sumus Universitatis nostrae patronos et amicos benevolentissimos. Qualem etiam cognovimus Virum Nobilissimum, van Limburg Stirum, nunc Gelriae Praesidem, institutione docta non

usum, sed rei Academicae augendae studiosissimum. Hunc non sine maximo animi moerore et tristitia vidimus nos relinquentem, eique abeunti eundem optavimus Gelrorum amorem, quo et hîc fruebatur et vero erat dignus.

Dolorem illum lenivit Rex, in illius locum Te Curatorem nominans, Amplissime van Roijen! Nonnulli enim nostrûm Te hîc novimus Academiae civem, qui vita, moribus, discendi ardore omnibus eras exemplum. Plures etiam Te ante hos novem annos audivimus stadii Academici memoriam et gaudia oratione elegantissima celebrantem. Omnes Te nunc cernimus summa hujus regionis cura ornatum. Quidni igitur optima quaevis a Te exspectemus èt has literas cognoscente, èt eas amante, èt jam in eam dignitatem evecto, ut eas promovere possis, longe quam omnes reliqui melius? Neque sane luxûs cujusdam laude eas modo ornabis, cum nonnullis hujus aevi sapientioribus viris existimans, esse quidem cultûs elementa, omnibus civibus communicanda, omnino necessaria, haec vero nostra — studia, an artificia dicam? — esse ornamenta potius Reipublicae splendida eaque valde cara, ferenda quidem, sed quam tenuibus modo fieri possit, subsidiis sustentanda. Quid enim ingenuas didicisse fideliter artes, ad salutem omnium augendam faciat, ipse tuo ostendis exemplo. Atque ut hoc unum afferam: scholas inferiores ego, qui his curandis praefectus sum, florere non posse video, sine Universitatum bene cultarum adjumento; nam has esse quasi radices et stirpes firmas, unde illae, tanquam rami tenuiores, humorem et fertilitatem trahant. Cujus experientiae et persuasionis nunc et Te et omnes statim reddam socios, vobis in memoriam revocans, hunc, qui orbi toti in scholis inferioribus emendandis exemplum et facem praetulerit, Pestallozzium, atque hos, qui idem fecerint in patria nostra, duumviros, van den Ende et van der Palm: igitur hos omnes ideo tantum, quia literarum antiquarum peritia erant exculti, magnum illud opus perficere potuisse.

Qui in Curatorum collegio vacabat locus, jam per aliquot menses, Consule hujus urbis nominato Johanne Slot, est impletus. Vir integerrimus classica institutione se destitutum esse querebatur, quum Senatûs nomine eum salutaremus. Quid autem sine ea in Academiae commodum perficere possit virtus, constantia, religio, ostendit, quem jam laudabam, nobilissimus van Limburg Stirum, ostendat Curator novus.

Si jam de aedificiis et praesidiis Universitatis nostrae quaeritis: nonnulla sunt, de quibus gaudemus. Muri, quo Hortus Medicus a platea separabatur, partem majorem dejiciendam curavit Magistratus urbanus, repositis cancellis ferreis, qui civibus jam liberum, eumque amoenum, in Hortum praebent adspectum. In Horto autem hoc hisce diebus florere rursus Agaven Americanam magnificam, neminem vestrûm latet. Etiam Templi hujus Academici Senaculum bellius reddidit nonnullorum liberalitas, id ornantium imaginibus Professorum eleganter pictis. Longe plures sunt nunc viventium; aliquot etiam seniorum. Quin et Ubbonis Emmii, primi Rectoris Magnifici ac pene hujus Academiae auctoris, imaginem dedit collega conjunctissimus de la Faille; Nicolai Engelhardi hujus nepos, curiae Provincialis in hac urbe socius; Jacobi de Rhoer, avunculi sui majoris, vir consultissimus de Rhoer Ottens, ejusdem curiae socius; collegae nostri Theodori van Swinderen, hujus vidua. Ita Universitati nostrae non amplius deerit ornamentum, quod reliquis in patria nostra Academiis inde a natalibus fere affuit.

Exstructum jam esse suisque usibus inservire Laboratorium, physiologicis experimentis destinatum, itemque Cubiculum microscopicum, monentes, nos vestrae id debere constantiae et magnanimitati, Amplissimi Academiae Curatores! praedicare nunquam negligemus.

Amplificatum quoque est Laboratorium chemicum; accrevit Museum Historiae Naturalis speciminibus multis, ad anatomen comparatam referendis. Bibliotheca parum aucta est, subsidiorum inopia; ei autem adjicietur, sed separatim conservanda, collectio librorum Societatis *pro excolendo jure patrio* institutae, non admodum magna, si amplitudinem spectas, sed delectu librorum exquisita et praestans. Quod hujus Societatis exemplum, cum ipsi tum nobis proficuum, utinam sequantur reliqua, quae sunt ejusmodi inter nos, instituta!

Quum vero pecunia jam diu mediocris, qua Universitates a Reipublicae regimine sustentantur, quovis pene anno et augeri deberet et tamen imminueretur, adeo ut sine hujus Urbis et Regionis subsidiis, atque tributis a juventute Academica solvendis, quoties vel quis Albo inscribitur vel

examen subit, res nostra literaria salva esse non posset, ante paucos annos hoc consilium inierunt hujus Academiae Professores, ut peculium conderent, e quo Universitatis inopiae succurrerent cum aliquatenus jam aequales, tum longe magis posteri. Cujus peculii, adhuc parvi, legem hoc anno sanxerunt novam, qua cavetur, quatenus hominibus id licet, ut ne unquam dilapidetur et vero semper crescat.

E Professorum numero unus est, quîcum saepe luximus clades domesticas multas, nunc gavisi sumus de vitae socia nova, ipso digna. Illam Tibi, Te illi et Academiae nostrae diu servet Deus O. M., amicissime Rovers! Numquam desperasti, Patrem Tibi esse coelestem, qui infortuniis Te afficiebat maximis. Patrem jam experiaris eundem, Tibi rursus blandum et mitem.

E collegis in eo est, ut nos relinquat Matthias de Vries. Vocationem Leidensem Tibi, Collega aestumatissime! ex animo gratulor. Desiderium vero Groningae remanebit Tui, haud facile resarciendum. Tu in illa Musarum sede literas Nederlandicas ita docere perge, ut ibi non minus, quam hîc linguae nostrae et patriae ipsius amantissimos reddas discipulos bene multos.

Morte abreptus est hoc anno, qui olim hujus Academiae erat ornamentum Johannes Fridericus van Oordt, Leidae morbo diuturno oppressus. Cujus viri doctissimi, sagacissimi, optimi, mihi amicissimi obitum quantopere luxerim et lugeam, dicere nequeo. Lugent vero mecum, quotquot sagacem hunc Theologum ac sincerum amicum suo aestimaverunt pretio et honore.

E studiosis nemo quidem morte abiit, sed duo tamen occubuerunt juvenes, qui nondum plane nos reliquerant; alter Regnerus Livius van Welderen Rengers, morbo lento impeditus, quominus Academiam amplius frequentaret, alter Antonius Ewaldus Sichterman, nuper Juris Doctor creatus, sed qui majorem disputationis inauguralis partem adhuc erat scripturus. Juvenes optimos moerent non modo parentes et consanguinei; amici etiam bene multi et magistri.

Caeterum, quod e vobis, Juvenes praestantissimi, hujus Academiae cives! nemo morti succubuerit, non una est causa, cur laetus vos adspiciam. Altera, eaque major, est, quod ii vestri, me Rectore, fuerint mores, ut nullam mihi creaveritis molestiam, nec nisi paucissimos e vobis ob negligentiam aliquam vel alia vitia, pleraque juvenilia, leniter admonere opus habuerim. Quin et multos vestrûm, Theologiae operam non dantes, habui discipulos admodum acceptos, quum interiorem Religionis Christianae cognitionem vobis parare conabar. Denique e vobis laudem sibi, vobis, Universitati acquisiverunt insignem, praemiis in certamine literario Trajectino sibi comparandis aureis. Alter est Folkertus Schaaff, alter Isaacus Telting, uterque Frisius, ille Theologiae, hic Juris candidatus. Quorum virtutem et diligentiam haud pauci jam sequantur in certamine novo, nunc hac in Academia instituto.

Pergite, Juvenes optimi! ut facitis. Literis vos detis bonis, moribus studeatis puris, errantes tardosque, quales, ut in magno numero fieri solet, etiam inter vos sunt, exemplo monitisque corrigatis ipsi; denique in vestram patriaeque salutem Theologiae Religionique nobiscum vos addicatis futurae, Euangelico-Catholicae.

Unum restat hoc, ut magistratum, quo functus sum, tradam successori, quem Regis nomine proclamo anni jam ineuntis *Rectorem Magnificum*

JACOBUM ADOLPHUM CAROLUM ROVERS.

Salve, vir Clarissime, Rector Magnifice! Nihil molestiae, multum gaudii afferat Tibi munus novum. Uti mihi favit, sic Tibi jam faveat Deus O. M., cui sit laus, honos, gloria!

ORDO LECTIONUM,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

HABENDARUM

INDE A MENSE SEPT. ANNI CIƆIƆCCCLII AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLIII.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Hermannus Christianus van Hall die Veneris, horis VIII et IX, autumnali et aestivo tempore etiam die Martis, Iovis et Saturni, hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet die Veneris, hora XI. Die Mercurii horis IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, horis X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit. — Post ferias *paschales* et mense *Septembri*, alterna hebdomade, die *Mercurii* hora mat. VII *excursionibus botanicis* praeërit.

Ianus Guilielmus Ermerins diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit die mercurii hora I, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

Nicolaus Mulder die Lunae hora X, die Martis hora X et XII, *Historiam Animalium vertebratorum naturalem* docebit; diebus Veneris et Saturni, hora XI, *Anatomen animalium comparatam* tradet. *Palaeöntologiam*, maxime soli patrii, exponet diebus horisque auditoribus commodis. *Exercitiis* denique *Zoölogicis* et *Zoötomicis practicis* quotidie praeërit, horis dein indicandis.

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit. Selectos *Algebrae* locos tractabit diebus Lunae et Martis, hora XI. *Astronomiam popularem* tradet diebus Lunae et Mercurii, hora I. *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam* et *Astronomiam theoreticam* exponet horis commilitonibus commodis. *Exercitia mathematica* futurorum Praeceptorum moderabitur horis postea indicandis.

PETRUS IOHANNES VAN KERCKHOFF diebus Lunae et Martis, hora IX, die vero Mercurii, hora XII, *Chemiam anorganicam* docebit. Diebus Mercurii, hora XI, et Saturni, hora X, *Chemiam corporum organicorum* exponet. Diebus Lunae, hora XII, et Iovis, hora X, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. *Chemiae technologicae capita* in nsum publicum explicabit diebus Lunae et Martis, hora VI p. m. *Chemiam practicam* docebit, et *Exercitia analytica* in Laboratorio moderabitur quotidie.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Logicam* docebit; diebus autem Iovis, Veneris et Saturni, hora IX Historiam Philosophiae exponet; hora X *Metaphysicam* tradet. *Encyclopaediam*, *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem hora auditoribus commoda explicabit.

IACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS tradet *Historiam gentium antiquarum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX; *Antiquitates Romamas*, iisdem diebus, hora X, et, die Iovis, hora VIII; *Antiquitates Graecas*, diebus Iovis et Veneris, hora IX. *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis dierum hebdomadibus, die Saturni, hora IX.

IOSUA IOANNES PHILIPPUS VALETON *elementa grammatices Hebraeae*, additis exercitiis analyticis, tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII. *Grammaticam linguarum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis Arabicis et Aramaeis, exponet diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII. *Antiquitatem Hebraeam* explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X. *Librum* DEUTERONOMII interpretabitur diebus Lunae

et Mercurii, hora XI; *Vaticiniorum* Jesaïae capita selecta die Martis, hora XI. Cum provectioribus Kosegartenii *Chrestomathiam* privatim leget die Lunae, hora IV, et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* eodem die, hora V.

Ioannes Adolphus Carolus van Heusde diebus Iovis, Veneris et Saturni hora X Ciceronis *de fin.* l. I et II, iisdem diebus hora I Platonis *Symposium*, privatim autem hora XI Aeschyli *Choëphoros* exponet. — *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis dierum hebdomadibus, die Saturni hora IX.

